

20.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
EX APOC. XIII. 8.  
DE

# AGNO OCCISO AB ORIGINE MUNDI,

*Quam*

AUSPICIIS SUMMI NUMINIS

Sub PRÆSIDIO

SUMME VENERANDI IN CHRISTO PATRIS,  
VIRI MAGNIFICI, AMPLISSIMI ATQ; EXCELLENTISSIMI,

DN. D. FRID. MAYERI,

Comitis Palatini Cæfarei, Consiliarii Regii ac Ducalis,  
Academiæ PRO-CANCELLARII Perpetui, Theol. Profes-  
soris Primarii, Consistorii Regii Præsidis, Pomeraniæ  
Svecicæ Rugiæque Superintendentis Generalis,

Facultatis suæ DECANI, & Academiæ

h. t. RECTORIS,

Domini Patroni, ac Promotoris omni  
pietate colendi,

*in Auditorio Majori,*

Ad diem 31. Martii, Anno M DCC VI.

publicæ Eruditorum censuræ tradit.

*A. & R.*

PHILIPPUS CHRISTIANUS CRAZIUS,  
Boltenhag. Pom. SS. Minist. Cand.

---

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS DANIELIS BENJAMINIS STARGKII,  
REG. ACADM. TYPogr.

SERENISSIMI, POTENTISSIMI, INVICTIS-  
SIMI ET CLEMENTISSIMI,

SVECORUM MONARCHÆ

**CAROLI XII.**

IN POMERANIA ET RUGIA

**PRO-PRINCIPI,**

Regio Consiliario intimo,

Exercitūs Campi-Mareschallo,

Illustrissimi Regiminis Præsidi,

Academiae Gryphiswaldensis Cancel-

lario Magnificentissimo,

Comiti Illustrissimo ac Celsissimo,

**DOMINO MEO GRATIOSISSIMO,**

ET

ET  
PER - ILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS  
MAGNIFICIS ET SPLEN-  
DIDISSIMIS,  
STATUS POMERANICI REGII  
DOMINIS  
CONSENSIARIIS  
& reliquis  
MEMBRIS,  
Dominis, Patronis, Mecæna-  
tibus, Evergetis & Promoto-  
ribus meis æternum devotâ  
mente colendis ;

pia

pia Regique & Patriæ  
salutaria Consilia,  
perpetuam felicitatem  
& longævam vitam  
piè adprecor,  
& dissertationem hanc  
ceu qvalicunque studiorum meorum  
specimen in submissæ, devotæ ac  
gratæ mentis symbolum  
& ulterioremei commendationem  
*Humillimè offero, & consecro*  
**V. V. V.**  
Illustrissimæ Celsitudinis  
&  
Per-Illustr. Generosiss. Magnificentiss.  
*Subjectissimus Servus*  
PHILIPP. CHRIST. CRAZIUS.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

AGNO OCCISO AB ORIGINE  
MUNDI,

EX

APOC. XIII. 8.

PREFATIUNCULA.



Rduam hanc materiam non ex  
privato ausu, sed auctoritate Magnifici  
DN. PRO-CANCELLARII pertra-  
ctandam aggredior, qui, uti maximi semper  
estimat sacrarum litterarum scrutinium, ita  
suis etiam Auditoribus tam verbis, quam ope-  
re sedulo id inculcat, commendat. Hinc maxime huic Doctori  
& Ductori ea arrident disputationes, quæ dictum quoddam  
S. Scriptura rerum verborumque pondere excellens examinant,  
& exinde orthodoxiam theologicam pro materie conditione con-  
firmatam sisunt. Minime itaque & ego difficultate rei deter-  
ritus sum, quin, cum exercitium aliquod Academicum medita-  
rer, agni ab origine mundi satisfactoriam occisionem ex mandato  
Magnif. Dn. Praesidis devote primum meditationi subjicerem,  
& post publica etiam disquisitioni expонerem. In hoc vero insli-  
tuto meo DEUM clementissimum supplex veneror, velit suâ gra-  
tiâ auxilioque meis conatus adspicere, quo omnia in Nominis  
sui gloriam vergant FELICITER !

A

Apoc.

*Apoc. XIII. 8.*

Textus avthenticus.

Διν & γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐν τῷ βίβλῳ τῆς Λαζης τοῦ ἀριν  
ἰσθαυμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

*Versio Vulgatae.*

Qvorum non sunt scripta nomina  
in Libro Vitæ Agni, qvi occisus est  
ab Origine Mundi.

*Versio SEBAST. SCHMIDII.*

Qvorum non sunt scripta Nomina  
in Libro Vitæ Agni, qvi occisus est à  
fundatione Mundi.

*Versio B. LUTHERI.*

Deren Nahmen nicht geschrieben sind  
in dem lebendigen Buch des Lambs/ das  
erwürget ist von Anfang der Welt.

SECT. I.

## SECTIO I.

DE

CONNEXIONE ET ANALYSI TEXTUS  
LOGICO-GRAMMATICA.

S. I.

**C**um illa textus nostri verba, qvæ jam nostro *Connexio-*  
*nis ratio.* instituto inservire debent, non absolutè, sed in compositione, & cum aliâ materiâ conexa legantur, paucis earundem cum antecedentibus connexio tradenda, &, qvânam occasione Johannes Theologus hæc elocutus, dispiciendum est. In duas partes hoc caput distribuitur, qvarum utraq bestiam qvandam describit, & prior qvidem bestiam septicipitem, è mari ascendentem, decem cornua, & totidem diademata habentem. Num autem hæc priori hâc parte descripta bestia, unicè vel regnum papale, vel imperium vetus Romanum sub Ethnicis Regibus, Consulibus & Imperatoribus, vel utrumqve conjunctim delineet, non eadem omnium Interpretum sententia est, dum qvidam prius, alii alterum, nonnulli posterius intelligunt. Plurimi tamen de Regno Romanorum veteri idololatrico explicant. Vid. *D. Kromayeri comm. in b. l. It. Bibl. Vinariensis in h. l.* Qvæ vero sententia veritati & experientiæ maximè consentanea esse videatur, copiosius jam disqvirere non intendo, hoc faltem addens, qvod negari neqveat, hâc in parte textus ejusmodi haberí prædicata, qvæ regno qvoque

Anti-Christiano competere possunt; & secundum Interpretes re ipsa etiam competit. Celebratissimus Apocalypseos Commentator D. Matth. Hoë per bestiam hanc propriè Monarchiam Veterem Romanam describi, typicè verò simul Papatum Romanum hīc depingi docet, & absolutâ explicazione de Imperio Romano statim convenientiam hujus textū cum Anti-Christo Romano subjungit, ita tamen, ut priorem sententiam pro primariâ, posteriorem pro secundariâ, utramq; autem intentioni & menti Spiritus S. vaticinantis pro omnino congruâ habeat, proindeq; mixtum hoc esse vaticinium dicit: *Vid. ejus Comment. in b. l. lib. IV. p. 443.*

*Conf. Ca. 450. 452.* Huc quoque inclinare videtur D. L. Osianovi Bibl. der in comm. ad b. l. p. m. 842. b. dum blasphemias in illustr. ad CHRISTUM, & persecutions adversus Christianos contemplando hæc tandem verba apponit:

*p. 1841.* *Johannes studiose videtur commisere persecutions Imperatorum Romanorum, & Pontificum, propterea, quod aliquando Regnum Romanum cum Pontificatu in persecendâ veritate celestis collusurum erat.* Accedit vaticinium de lethali plagâ bestiæ infictâ & restitutâ, cuius tamen restitutio non aliunde ipsi contigit, nisi ope Pontificis, Leonis sc. III, Carolum M. declarantis Imperatorem Romanum, uti habent Interpretes. Hinc factum, quod Imperium Romanum Monarchiâ papali stabilitum, & papalis sedes ab Imperio Romano potenter rursus defensâ sit. Ex quâ harmonicâ coniunctione mirum in modum crevit utriusq; non tantum imperii Romani, sed & regni papalis Romani majestas & potentia, ita ut universa terra majestatem illam cum stupore admirata sit, ut bestiæ

bestiæ concessum sit, bellum facere cum sanctis, & vincere eos: ut bestia, qvod horrendum, ab omnibus terræ incolis adorari cœperit, id qvod tam in Imperatoribus Ethniciis, qvam Pontificibus Romanis impletum est, qvi diuinos sibi honores exhiberi passi sunt, & adhuc hodiè exigunt. Adhibetur autem limitatio, quantum ad incolas terræ, qvod illi tantum adorent bestiam, qvorum scilicet nomina non sunt scripta in libro vitæ agni, i. e. qvi sibi per fidem sanguinem CHRISTI fiducialiter & perseveranter non applicarunt, adeoque isto sangvine, veluti rubrica in catalogo electorum scripti, & à coetu damnatorum separati non sunt. Hac occasione Johannes mentionem facit agni mactati ab origine mundi, qvæ verba in præsenti à nobis tantum attenduntur.

## S. II.

Qvō majoris autem emphaseos sunt, eo majori contorsioni obnoxia redduntur, ita ut ne quidem lectio, & genuina earundem distinctio salva atqve integra ab omnibus servetur, sed malitiosè varietur, dum divellenda male conjungunt, & conjungenda male divellunt. Nos constantissimam incorruptorum quorumvis codicum lectionem, nec non optimorum Patrum, & Theologorum interpretationem secuti, nullam hīc verborum distinctionem & avulsionem admittimus, sed eo ordine, quo à Spiritu S. collocata sunt hæc verba, retinemus, dum è contrario alii τὸ ἀνὸ καταβολῆς κέστης non ad τὸ εὐφαγμένης referunt, sed ad τὸ γεγενητα.

Ad hunc modum ordinem verborum horum permutant Pontificii, Calviniani, & Sociniani, & qvia

Parva le-  
ctio.

singulis pro ratione suarum hypothesis aduersus est  
 hic locus, singuli quoque suas habent rationes, quibus  
 commoti trajectio[n]em hanc adornant. *Pontificis fami-*  
*liaris est limbus Patrum*, qui receptaculum quoddam  
 est, in quo animae sanctorum ante CHRISTI Domini  
 adventum excipiebantur, ibicque sine ullo doloris sensu  
 beatâ redemptio[n]is spe sustentati, quietâ habitatione  
 fruebantur. Vid. *Quenstedt Syst. p. IV. p. 557. a.* Qvia autem  
 hoc dictum meritum CHRISTI æqui ad Vetus ut ad N. T.  
 extendit, limbum hunc, ut figmentum otiosum, rejicit.  
*Calviniani ex caussis electionis meritum CHRISTI ex-*  
*cludunt, & ad media executionis in tempore suppe-*  
*ditata referunt, vel etiam pro effectu electionis ha-*  
*bent. Haec autem verba, quiia meritum CHRISTI ab*  
*æterno extitisse, adeoque caussam electionis, haccontraque*  
*priorem esse docent, Calvinianorum dogma aperte*  
*refutant. Hi cum *Socinus* egregie conveniunt, qui,*  
*ut doctrinam de salute Patriarcharum, & merito*  
*CHRISTI ab æterno universaliter efficaci infringant,*  
*ultima verba non ad proximè præcedentem macta-*  
*tionem, sed ad inscriptionem in libro vitæ referenda*  
*esse docent, ita ut hic sit sensus: *Omnes, qui non sunt**  
*ab origine mundi inscripti in libro vite agni mactati, adorabunt*  
*bestiam.* Sed remota, imò violenta hacc contorsio est,  
 ad quam nulla hicc necessitas urget, cum sensu[m] veritas  
 adeò perspicua est, ut etiam positâ trajectione maneat,  
 quamvis hoc non attendat Socinus. *Qui enim con-*  
*cedit, electos in libro vite agni mactati ab origine*  
*mundi inscriptos esse, is necessariò etiam dabit, agnum*  
*ab origine mundi fuisse mactatum: cum nullâ alia*  
*ratione,*

ratione, qvam facta ab æterno agni mactatione potuerunt inscribi, utpote qvæ causa inscriptionis meritaria est. *Conf. D. Jo. Meisneri disp. de libro vite, factaque ab æterno in eundem inscriptione cap. V. §. 40. -- 46.* Adeoq; nec fingi inscriptione ab æterno potuit sine mactatione æternâ, & qvi docet tempus, qvando inscriptione in librum vitæ facta sit, simul tempus, qvando agnus mactatus est, docet. Nega itaque, Socine, æternam inscriptionem, aut agnosce nobiscum æternam mactationem, & ab antiquissimâ menticâ Spiritus S. conformi lectione non discede.

*Dorschaeus Pentad. disp. XI. ad locum Joh. I. 29. p. 375. §. 35. Corf. omnino Celeberrimi Gedanensis Theologi D. Sam. Schelgvigii disp. de Justificatione fidelium sub V. T. §. 8. p. 12. &c. Prückneri Vindic. ad b. I. Notamus hic qvafsi in transitu, inveniri in qvibusdam codicibus, ut Ariæ Montani, alisqve, signum distinctionis post vocem ἐσφαγμένος, qvâ autoritate Theologus Ecclesiæ nostræ incomparabilis Dn. D. Diecmannus commotus est, eandem lectionem retinere, & ultima verba non ad immediate antecedentia, sed ad inscriptionem in librum vitæ referre, vid. ejus prefat. ad Biбл. germ. Stad. edita A. 1698. in 12. p. 27. 28. coll. 41. ubi simul plures Autores pro se allegavit. Enimvero neq; hanc, necq; alteram expositionem analogiæ fidei contrariam esse, monet ex D. Diecmanno Magnif. Dn. D. Schelgvigius in disp. cit. p. 13. §. 8. interim tamen priorem pro tutiori atqve Apostoli scopo propiori agnoscit.*

## S. III.

Vindicatâ jam paucis verborum textûs cohären-  
tiâ, proprius ipsam ad analysin logico-grammaticam  
accedi-

**Subiectum** accedimus, & primò ceu subjecti loco expendenda  
**Agnus.** sese offert vox Agni. In textu græco habetur vox **λαμβάνειν**,  
**Eius** quod diminutivum est **ἀπὸ τοῦ ἀρνέων**, cuius originis  
**Æymole-** rationem Eustathius suppeditat, cùm derivat ab **ἀρέων** pre-  
**gia.** ces, juramentum, eo, quod in votis nuncupandis,  
**Synony-** aut precibus fundendis agni sacrificabantur. Adhi-  
**mia.** betur præterea in N. T. vox **ἀρνίον** descendens ex a pri-  
**Homony-** vativo & **μέτρῳ**, significans vel robur, vel iram. *Vid.*  
**mia.** Eduardi Leigb *Critica Sacra N. T. p. 38.* Qvando hæc voca-  
bula *propriè* sumuntur, animal illud omnibus notum,  
oviculum scil. recens in lucem editam denotant. Enim  
verò aliter etiam usurpata invenimus, dum *metaphorice*  
piis seu fidelibus tribuitur, qvi propter innocentiam  
simplicitatem & mansuetudinem agni vocantur. *Esa.*  
*LXV. 25. V. 17. Matth. XXV. 32. 33.* Tribuitur etiam *metony-*  
*miciè* ipsi CHRISTO, de quo utraq̄ vox sat freqvens est  
in S. litteris, in primis per **τὸν ἀρνεῖον** in foliā apocalypsi  
vicies novies Salvator noster ceu pulcherrimo prædi-  
cate indigitatur. Neque tantum in N. T. hoc nomen  
habetur de CHRISTO, sed jam olim in V. T. DEUS  
typicè prædixerat, Servatorem agnum futurum; imò  
expresso nomine vocavit agnum, cum *Esa. LIII. 8.* ubi  
habetur vox **λαμβάνειν**, inquit: *Sicut agnus ad maledictionem*  
*ducens est,* & *velut ovis coram tendente se obmutuit;* nec *aper-*  
*ruit os suum.* Conf. bic Sviceri Ihes. Ecclesi. circa vocem **ἀρνέων**  
*Tom. I. p. 231. seqq.*

## §. IV.

Per agnū Num autem voce **ἀρνέων** h. l. vel agnus naturalis,  
intelligitur vel alias metaphorice sic dictus intelligi debeat, mul-  
christus. tis verbis non opus est, cum ipsa rei necessitas & evi-  
dentia

dentia agnelli mysticum, CHRISTUM scil. hâc  
 comparatione describi urgeat. Adscribitur enim huic  
 agno liber vitæ, qvi Electorum nomina ab æterno  
 consignata continet, & cum omnis sapientia divinâ tauſo eſt,  
 ut verbis D. Dorschii utar ex Pentad. diff. XI. ſ. 18. p. 363.  
 Uti autem libri vitæ autorem nullum alium agnosci-  
 mus, qvam ſolum, verum, æternum DEUM, totam  
 SS. Trinitatem, cui ſemper competit, qvando abſo-  
 lute, nullo habito respectu ad hanc illamve personam  
 appellatur liber, liber vitæ, &c. Ita qvoqve peculiari  
 ratione CHRISTO attribui non negamus, qvando  
 ejusmodi appellatione reſtringitur ad illum ipsum,  
 qvæ alii personæ inconveniens eſt, qvalis hic eſt nomen  
 agni, qvando dicitur liber vitæ agni, uti etiam C. XXI. 26.  
 Hoc namq; nomen involvit ſimul respectum ad cauſam  
 meritoriam inscriptionis in hunc librum, nec tantum  
 vult, hunc librum vitæ eſſe agni, qvatenuſ ſcil. ut per-  
 ſona divinitatis absolute conſideratur, ſed & qvatenuſ  
 eſt Redemtor mundi, qvâ ratione nec Patris, nec Spir-  
 itus S. liber eſt, ſed ſolius Filii DEI, nostri JESU CHRISTI,  
 qvippe cujus liber vocatur, qvod iſtum ſcripſerit, ut  
 agnus ſive Redemtor, & qvod vita æterna, qvæ dabi-  
 tur, ſit agni, ab ipſo acqvisita, & ab ipſo diſtribuenda  
 iis, qvi ſunt ſui, & qvibus ipſe vult. Vid. Seb. Schmidts.  
 diff. de pbraſi Scripture deletionis ē libro vite. membr. 2. ſ. 19.  
 pag. 28. Hæc adeò nos erudiunt, CHRISTUM eſſe  
 ipſum, quem Johannes ſub comparatione agni pro-  
 ponere voluit, ut neceſſe non ſit ulteriorem hujus  
 comprobationem ex prædicto ipſi ſoli convenienter,  
 cum dicitur occiſus ab origine mundi, adducere, aut

omnia perlustrare loca Apocalypseos, qvæ agni mentionem faciunt, & de nemine nisi solo CHRISTO intelligenda esse finunt.

## §. V.

*Secundum  
quam na-  
thram.*

Uti autem inter nomina CHRISTI varia, in Scripturis ipsi imposita, certa qvædam datur distinctio resultans ex diversitate naturarum & officiorum, ita ut alia respiciant naturam divinam, alia humanam, alia officium propheticum, alia sacerdotale, alia regium: unde fit, ut sciamus, qvo respectu hoc illudve nomen C H R I S T O conveniat; Ita qvoque hic tribus saltē verbis prius ostendemus, qvo respectu svavissimum nomen agni CHRISTO competat, anteqvam ad convenientiam agni cum CHRISTO descendamus. Non autem tantum à Doctoribus doceatur, sed & ipse modus appellandi statim innuit, non respectu divinitatis, sed humanitatis in intimam suam hypostasim assumta Salvatorem agnum vocari. *Quamvis enim humana natura nota non sit, appellari agnum, tamē ens aliquod rationale appellari agnum, est humanae nature indicium,* sunt verba D. Dorshei in Pentad. diff. XI. §. 19. p. 363. Divinitas & qvidem nuda & simplex, ejusmodi denominationes respuit, cum inter agnum & D E U M tertium qvoddam comparationis commodè haberí nequeat, hinc nec DEUS Pater, nec Spiritus S. qvamvis in visibili humanâque, ast temporaliter assumtâ, formâ sūpè apparuerunt, unqvam appellantur agni, imò ne qvidem Angeli Sancti, sūpè pariter in humanâ naturâ visibiles, hoc nomine unqvam veniunt. Cum itaq; in CHRISTO præter divinitatem etiam adoretur

adoretur humanitas, & qvidem non extrinsecè, nec temporaliter, sed personaliter, intimè ac perpetuo assumta, respectu hujus etiam humanitatis intimè sibi unitæ sustinere ipse debet prædicatum magni, utpote qvod ex Scholâ sacrificiali maximè desumtum est. Qvæ verò nomina à sacrificiis petuntur, & CHRISTO impununtur, secundū humanitatem data esse intelliguntur. Accedit, qvod dicatur agnus *occisus*, qvæ vox indicat, CHRISTUM per & propter occisionem agnum vocari. Qvo itaq; respectu dicitur *occisus*, eo respectu qvoq; dicitur agnus. Jam verò nemo negabit, CHRISTUM secundū humanam naturam occisum esse; mactari humanae naturæ est, inquit B. Menzrus in Anti-Martinio cap. 3. p. m. 191. Ergo etiam agnum vocari, humanæ naturæ est. Ita pariter censem D. Job. Quislorpius in disp. de agno DEL, qvipollit peccata mundi, ex Job. I. 29 §. 28. Et qvamnam naturam illi intelligunt alias, qvam humanam, qvi respectu innocentiae, patientiae, mansuetudinis, aliarumque virtutum nomen hoc CHRISTO datum esse dicunt, utpote qvi ut homo innocens, patiens ac mansuetus est? Non autem ab hac appellatione naturam divinam omnino excludo, ita ut CHRISTUS dicatur agnus ob humanam naturam tantum, qvippe qvæ particula exclusiva Stancarismo nimis favere videtur. Non enim nudum nomen hic considerandum est, in usu suo naturali sumptum, sed ex intentione imponentis, & secundum id, qvod in recessu habet. Habet autem in recessu totum opus mediatorium, & satisfactorium, & maximè propter satisfactionem ita nominatur, unde etiam D. Clemens hunc locum

locum inter appellations officii CHRISTI retulit.  
*LL. TT. P. I. p. m. 183.* Jam usitissima scholarum Christianarum regula est; *nomina officii secundum utramq[ue] naturam esse intelligenda*: unde ita loquendum nobis est: Hic agnus occisus est verè DEUS & homo; semper enim quando de CHRISTO ut Satisfactore sermo est, ejusmodi axiomata intelliguntur inclusivè, sc. de DEO & homine, i.e. eâ personâ, qvæ est non tantum DEUS, sed etiam homo. Nihilominus tamen servatur naturarum discrimen, ita ut quodlibet idioma ad distinctam naturam, ceu *principium quo*, unde actio ipsa prodiit, referre debeamus. Et hoc est fundamentum, quare dico, appellationem agni convenire CHRISTO secundum humanam naturam, non tamen exclusâ divinâ naturâ. Esse namque agnum, posse vocari simpliciter agnum, posse occidi ut agnus, est affectio naturæ humanæ: esse autem agnum satisfactorum, mactari ad expiationem, est idioma divinæ naturæ, sicque emergit simul ἀπόλεσμα θεαύματος. Apparet ergo, primum fundamentum nominis agni haberi & qværi in humanâ naturâ, cui primò & per se competit, ita ut si in illâ non habeatur, in totâ personâ CHRISTI ulla nec qværi, nec inveniri possit ratio, ob qvam ipsi tribui possit. Quod autem etiam divinæ naturæ competit, hoc fit mediante unione personali & communione idiomatum qvâ sibi humanæ naturæ idiomata appropriat.

## §. VI.

*Convenientia.* Jam, qvia impropria hîc est propositio accessum facimus ad convenientiam, qvam cum agno CHRISTUS

STUS habet; hoc namque meditationem quandam  
meretur, quod videamus, quam optimè amabile hoc  
& emphaticā, imò fermè inexhaustā significatione  
nomen CHRISTO tribuatur. Convenit ipsi ob com-  
munes cum agno dotes, inter quas eminet, & primo  
fermè loco nominanda est (1) *innocentia & puritas*. Uti  
enim agnus animal innocens & mundum est, id quod  
ipsum nomen indicare vult, dum in genere dicitur  
agnus ab ἄγνῳ, castus, purus: Ita CHRISTUS quod  
homo sanctus & innocentissimus fuit, in cuius ore  
non inventus est dolus *Ef. III. 9.* qui non novit pec-  
catum *2. Cor. V. 21.* & ab omnium hominum incul-  
patione semper & prorsus immunis fuit. *Joh. VIII. 46.*  
Ut adeò Servator noster sit ἀμμός. ἀμνὸς καὶ ἀσπίλος.  
*1. Petr. I. 19.* quibus vocibus cognatis summam agni  
innocentiam atque sanctitatem D. Petrus subjicere  
voluit. (2) Agnus *patientissimum* animal est: ob-  
mutescit coram tondente. Et quis non stupendam  
CHRISTI *patientiam* admiretur, qui os non aperuit,  
sicut agnus *Ef. LIII. 9.* qui, cum malediceretur, non  
maledixit, cum pateretur, non comminabatur *1. Petr.*  
*II. 23.* Summæ patientiae indicia! (3) In agno ma-  
gnam observamus *obedientiam*, quam Pastoris voci &  
nutibus sese conformem gerit. A CHRISTO ea de-  
monstrata, & DEO Patri exhibita est *obedientia*,  
quae exemplo caret, dum ipsi obediens factus est usq;  
ad mortem, mortem autem crucis. *Phil. II. 8.* Ecquis  
hanc satis exaggerare poterit? (4) Agnus est animal  
*mansuetum*, quae proprietas haud obscurè latet in no-  
mine ἀμνὸς, quippe quod ortum trahit ex a privativo

*Agnis  
& Christi*

*ratione  
innocentia*

*patientia.*

*obedientia*

*mansuetu-  
dinis.*

& p̄ev̄oꝝ, qvod significat iram, ut ita agnus qvafsi sit,  
 in qvo non sit ira: Ita CHRISTUS est longe placi-  
 diffimus & mansuetissimus, in cujus corde non ma-  
 net ira, ita ut seipsum omni jure vocare queat man-  
 suetum, Matth. XI. 29. (5) Agnus est animal imbecilli-  
 tatis.  
 qvod mortem ipsi minitanti & inferenti resistere non  
 valet, qvam affectionem pariter vox dñi innuere  
 videtur, dum r̄o p̄ev̄o idem etiam valet ac robur, &  
 addito a privativo p̄r dñi ejusmodi animal indigit,  
 in qvo non sit robur. Ita CHRISTUS qvidem erat  
 DEUS fortis Ef. IX. 5. & in formâ DEI erat  
 Philip. II. 6. nihilominus tamen ita fese exinanivit, ut  
 in similitudine hominum debilium constitutus, & sine  
 ullâ resistentiâ in arâ crucis mactari se passus sit. (6)  
 accurate cogniti-  
 onis. Agnus matrem suam accuratè novit, unde nonnulli agnum  
 ab agnoscendo deducere solent: CHRISTUS JESUS  
 qvoqve in ipsâ arâ crucis manifestissimum edidit te-  
 stimonium, se matrem suam agnoscisse hactenus, &  
 adhuc agnoscere Job. XIX. 26. Ille est agnus iste, qui  
 non tantum agnoscit suos, adjungentes fese gregi fi-  
 delium, sed etiam qui agnoscitur a suis tam ut agnus  
 ipsis utilitate suâ inserviens, qvam ut verus Pastor,  
 refectionis quem sequuntur Job. X. 14. (7) Agnus rōtum & dat in  
 vestitus usq; humanos, ita ut carnem suam in cibum sumant,  
 communi & ex lanâ vestimenta sibi comparent. Prov. XXVII. 26.  
 cautionis. 27. Hæc proprietas nobis singularem agni nostri Apo-  
 calyptici erga nos beneficentiam deprædicat, qui nos  
 pascit, dum carnem suam nobis in cibum, & sanguinem  
 in potum dedit Job. VI. 55. vestibus nos induit,  
 qvæ nihil aliud sunt, qvam vestimenta salutis & indu-  
 mentum

mentum justitiae *Ez. XL. 10.* quippe qvæ à nullo alio,  
qvām a Solo JESU CHRISTO accepta ferre debemus. Hinc  
etiam vult, ut sponsa ab ipso emat vestes *Apoc. III. 18.*  
*Conf. Psalm. XLV. 10. Ezch. XVI. 8. 10.* Ad eum mo-  
dum elegantissima agni & CHRISTI comparatio pot-  
est institui, & longè plures habentur proprietates,  
qvæ ad CHRISTUM possent accommodari, sed præ-  
stiterunt hoc *Binchius. in Mellet. Ibeol. P. I. Loc. 3 cap. 2.*  
alique. *Nobis potiores mōdō adduxisse sufficit,* &  
properamus ad specialiorum qvarundam comparati-  
onum considerationem.

## §. VII.

Non subsistendum nobis est in illis, qvæ circa de-  
nominationem agni allata jam sunt, qvia nil nisi ab-  
solutam eam nominis applicationem, & generalem  
CHRISTI cum qvovis agno comparisonem dedimus,  
qvæ utiles qvidem atqve piæ meditationes sunt; Sed  
qvia fundamentū hujus nominis desumptū est ab Agnis  
typicis V. T. nobis etiam, si vim hujus appellationis pe-  
nitius asseqvi velimus, recurrendum est ad illam rela-  
tionem, & considerandum, qvorōdō intuitu hujus re-  
lationis ad agnos typicos ita possit vocari. Inter anima-  
lia munda & mansuetiora, sacrificiis & victimis olim à  
DEO destinata, adhibebantur etiam agni, qvorum sāne  
mactatio insolens non erat. *Primo enim pro peccato*  
*universi populi Isrælis oblatus fuit agnus matutinus*  
*& vespertinus singulis diebus, qvod sacrificium juge*  
*sive continuum vocatur, Exod. XXIX. 38. Num. XXVIII.*  
*3. - 10. nec ullo die, etiamsi dies festus esset, quo aliæ*  
*victimæ essent immolandaæ, intermittebatur.* His  
agnis

agnis binis singulis diebus immolandis, bini alii addendi erant agni, iidemque pro holocaustis cædendi, & quidem in sacrificio hebdomadario, *Num. XXVIII. 9. 10.* in sacrificio menstruo offerebantur septem agni annuli immaculati *Num. XXVIII. 11. - 15.* in festo clangoris tubarum pariter septem *Num. XXIX. 2. &c.* in festo tabernaculorum quatuordecim *Num. XXIX. 13. &c.* & octavo ejusdem festi die septem, *vers. 35. 36.* Deinde etiam pro peccatis singulorum Israëlitarum agni fuerunt immolati, & quidem præprimis in sacrificiis purgationis variarum personarum, v.g. puerperæ purgantis sese *Lev. XII. 6. 7. 8.* leprosi *Cap. XIV. 10. 21. 23.* Nazarei ex improviso sese contaminantis, *Num. VI. 12. 14.* Jam autem uti omnia sacrificia ceremonialia V. T. gerabant typum CHRISTI, quem præfigurabant, nec tantum erant commonefactiones de futuro sacrificio Mediatoris, sed etiam figuræ & umbratiles descriptions ejusdem personæ, officii & beneficiorum; Ita agni modò enumerati ceremoniales in sacrificiis DEO oblati fuerunt typi Salvatoris JESU CHRISTI, & ex typicâ hâc præfiguratione sustinet JESUS nomen agni, ita ut vocetur agnus *κατ' ιχον*, utpote quod ita myriades agnorum Leviticorum unice superat.

## S. VIII.

*agnis adumbrantibus & typicis ante omnia annumerandus est agnus paschalis, quem fideles V. T. in solemini illo anno ferto paschali ejusq; primo die maestabant comedebantque. Hoc namque DEI institutio requirebat, ut agnum, vel etiam loco agni hoc dum usurpare ad hoc sacramentum deberent. Exod.*

*agnis adumbrantibus & typicis ante omnia annumerandus est agnus paschalis, quem fideles V. T. in solemini illo anno ferto paschali ejusq; primo die maestabant comedebantque. Hoc namque DEI institutio requirebat, ut agnum, vel etiam loco agni hoc dum usurpare ad hoc sacramentum deberent. Exod.*

*XII. 5.*

XII. s. Deut. XIV. 4. Usu tamen frequentissimum fuit, & pene solum obtinuit, ut agnus adhiberetur, ad antitypum luculentius adumbrandum, siquidem in N. T. nunquam hædi, sed agni tantum mentio fit. Agnus hic paschalis ideò distinguitur ab aliis agnis typicis, quia non, ut cæteri, immolabatur, sed tantum à Patribus familias domi mactabatur: hinc non ad sacrificia alia pertinere, sed Sacramentum esse rectius censetur. Et si namque actus sacrificiales concurrerint ad epulum paschale, e. g. separatio, mactatio, assatio, tamen actus ministeriales saltem fuere, & præparando huic Sacramento inservierunt. Ad hæc multi, & quidem essentiales actus sacrificiales in paschali defuerunt, nimur, quod nihil de paschate super altare oblatum fuerit, ne intestina quidem, aut adeps, cum tamen confitet, quod de omnibus sacrificiis aliquid accendi super altare debuerit. Licet itaque sacrificiis aliquid analogi quidem habuerit, sacrificium tamen strictissime dictum non fuit. Hoc tamen non obstat, quo minus typus CHRISTI esse possit, adumbrans illum ceu agnum nostrum paschalem verum & proprium, suâ carne & sangvine præfigurans carnem & sanginem agni antitypici, qui pariter pro nobis erat mactandus. Hinc expressè etiam vocatur pascha nostrum pro nobis immolatum i. Cor. V. 7. Posset etiam collatio typi hujus cum antitypo facili negotio institui, ita ut tam conditiones agni, qui debebat esse integer, masculus, anniculus, quam quoque actiones circa hoc paschale epulum, applicarentur ad CHRISTUM, quæ communiter ad quinaria numerum

referuntur, & sunt segregatio, mactatio, sanguinis aspersio ad postes, affatio, comedio; verum hæc omnina ubivis obvia sunt, unde remitteremus in his B.L. ad *Quenstedium Antiquit. Bibl. lib. 1. cap. 3. num. V. p. 277. seqq.* Hoc saltem notamus, cruentam mactationem fuisse primariam actionem, respectu cuius typus fuit CHRISTI, ejus scilicet victimæ à CHRISTO DEO Patri in cruce oblatæ: in agno namque hoc occiso figuratus est CHRISTUS occisus, & in sanguine agni sanguis CHRISTI effusus.

## §. IX.

*Collationis ratio.* Patet itaque, appellationem hanc suam trahere originem ab agnorum typicorum V. T. ordinariâ & extraordinariâ oblatione atq[ue] mactatione, qvi omnes & singuli evidentem figuram CHRISTI gesserunt, illumque ut agnum præfigurârunt\_. Denominatio constat, & collatio typi cum antitypo patet; qvæ vero sit collationis ratio, qvippe qvæ anima typi est, nondum fatis liquet. A variis variè figura horum agnorum in CHRISTUM reflectitur, & modò hoc modo illud figurasse docetur, qvæ nobis qvidem non displicent, jam vero magis placet, uni inhærere rationi, illamque in satisfactione pro peccatis querere: indeq[ue] dicimus, qvod, cum CHRISTUS agnus dicitur, non tam ejus innocentia, patientia, mansuetudo &c. denotetur, sed qvod potius ad præstítam in cruce immolationem, acerbissimam passionem, & satisfactionem ipsius respectus habeatur, qvæ in agnis oblatis & mactatis adumbrata, & typicè collata est, ita ut per ipsum aliquando fieri deberet. Ita facile constare

constare poterit ratio, qvare CHRISTUS dicatur agnus antitypicus, scilicet ideo, qvia, cum agni ceremoniales typicè peccata expiarunt, ejusque satisfactionem adumbrarunt, is verè, propriè, unice & plenariè peccata totius mundi sustulit, & veram satisfactionem in sui mactatione præsttit. Benè *Theophrastus in cap. 1. Joban. p. 575. Dicitur agnus DEI, eò, qvod DEUS Pater propter charitatem suam erga nos, illum tradiderit mactandum pro nobis.* Sed hæc uberior deducentur in Sect. III.

## S. X.

Subjecto huic conveniens adjicitur prædicatum, *Prædicatum, occidere,*  
 qvando de CHRISTO ceu agno antitypico secundum *tum, occi-*  
 proprietatem agni dicitur, qvod sit *occisus*, qvæ vox  
 nobis ulterius in analysi progredientibus sese jam of-  
 fert. In fonte habetur vox  $\sigma\phi\acute{\alpha}\zeta\omega$  sive  $\sigma\phi\acute{\alpha}\tau\tau\omega$ , jugulo,  
 macto, occido, qvæ passionem & mortem JESU  
 CHRISTI cruentam emphaticè nobis describit, & in  
 hâc significatione qvatuor vicibus in Apocalypsi de  
 CHRISTO usurpatur. È autem emphasi gaudet  
 hæc vocula, in nativo suo usu, ut mortem CHRISTI *innuit*  
 considerare nos jubeat (1) *ut veram*, non phantasti- *Mortem*  
*cam*, aut simulatam, sed talem, qvà anima à corpore *CHRISTI*-  
 separatur, ita ut non amplius sit vivens. Qvam verè *STI esse,*  
 enim agni, qvando mactantur, moriuntur, & vivere *veram*  
 desinunt, imò qvam verè agni typici mactati vitam  
 planè omnem amiserunt, tam verè quoqve agnus hic  
 mortuus est, cui mors in ipsâ mactatione, & per  
 ipsam contigit, ita ut vinculum animæ & corporis  
 naturale verè fuerit solutum, nec CHRISTUS rati-  
 one humanæ naturæ vivus, vitâ naturali, in illo statu

mansit. Ut adeò credere possimus in JESUM CHRISTUM Filium DEI pro nobis crucifixum & mortuum. Nec veritatem mortis CHRISTI destruit locus Apoc. V. 6. ubi vocatur *agnus tanquam occisus*. Tantum enim abest, ut particula  $\omega\zeta$  indicet, CHRISTUM non verè fuisse occisum, ut potius certitudinem veritatemq; mortis stabiliat ac demonstret, cum non semper similitudinem rei, sed interdum etiam certitudinem significet, ut Job. I. 14. 1. Cor. III. 18. 2. Cor. V. 20. Vid. Waltberus Harm. violentiæ, in h. l. p. m. 1384. D. Hoë Comm. in Apoc. V. p. 66. (2) Ut violentam. Non enim agnus hic Messias forsitan ex defectu virium naturalium, vel etiam ex morbo quodam, aut ob imminutum calidum nativum sive humidum radicale, vel senio absuntus est; sed ut tener agnellus in ætate adhuc floridâ, optimâq; valetudine violento quodam modo maestatus.  $\varepsilon\varphi\acute{\alpha}\zeta\varsigma\iota\tau\iota\pi\iota\sigma$  est alteri inferre mortem & excludit omne principium moriendi internum à naturâ proveniens, involvitque in maestato passionem mortis ab extra sibi illata. Hac morte peribant omnia animalia in sacrificiis olim maestata & oblata, quod etiam requiriatur, si victimæ esse deberent. Neque etiam in N. T. aliter hanc vocem usurpatam legimus, quam de morte, quæ fit per manus violentas. Conf. Luc. XIX. 27. Congruè itaq; in CHRISTUM quadrat, nobisque violentiam circa mortem CHRISTI, seu veræ victimæ dilucide proponit, atq; simul comprobat. Ob naturæ enim sanctitatem, & personalem unionem exceptus erat à lege moriendi, corpus ejus erat immortale, i. e. poterat non-mori. Hinc CHRISTUS, quia mori necessario debuit,

debuit, violentam mortem experiri, atque ita mactari debuit, quod factum per manus Herodis, Pilati, Judae, totiusque scelerati populi in necem CHRISTI quasi conjurati socias. Et si etiam hominum manus a CHRISTO abstinuissent, DEUS ipse eum mactasset, ut modo morte moreretur violentâ, id quod MAGNIFICUS DN. PRO-CANCELLARIUS, rationibus TANTO THEOLOGO dignis demonstravit in disp. utrum ipse Deus necem Redemptori intulisset, si abstinuissent homines? Hæc autem mortis violentia extrinseca omne beneficium & spontaneitatem moriendi in CHRISTO non negat, neque coactè mortuum illum fuisse involvit: Sed adeò hæc duo simul locum in CHRISTO habent, ut unum alterum non tollat. Si enim mors CHRISTI nobis debet esse salutifera & satisfactoria, necessario debuit esse spontanea, & a liberâ ejus voluntate profecta, ut etiam revera fuit, vi ipsius Salvatoris testimonii, dicens: *Ego pono animam meam, ut rursus accipiam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono a meipso.* Job. X. 17. 18. Nemo hominum nudorum quidem legitimè sibi mortem accersere atque ita eam velle potest; solus tamen CHRISTUS, ut Dominus vitæ suæ, id facere potuit, & fecit, ut in ejus mortem & divina ipsius voluntas, & humana in voluntate divinâ acqvescens consentirent. Nec obstat fuga mortis in CHRISTO, & voluntatem liberam negat, aut voluntatis harmoniam dissolvit. Timuit quidem CHRISTUS, & aversatus est humanâ voluntate mortem naturæ humanæ contrariam, ut homo, qui ad vitam creatus est, & naturâ semper sui conservationem appetit, ita tamen,

ut voluntati divinae minimè reluctaretur, sed patienter sese ei subjiceret. Fuit hæc confernatio & metus CHRISTI pœna nostrorum peccatorum eorumque expiatio, quam idèo sensit, & ad tempus in se suscepit, ne nos eandem experiemur eternum, inquit D. Walther in Harm ad loc. Job. XII. 27. p. 981. Conf. Hutterus in F. C. art. VIII. cap. 2. qv. 1. Cum hæc spontaneitate optimè stare potest violentia mortis CHRISTI. Vult mori, vult modum mortis, vult etiam violentiam mortis dum malitiam Judæorum quæ omnes caussas violentæ mortis procurarunt, permisit, nec manibus eorum sese subduxit, nec, cum diutius vivere posset, vitam sibi prorogavit; Sed CHRISTUS, qui sponte moritur, etiam in eruentâ summâ violentiâ moritur. (3) Ut cruentam. Ut mactatio semper conjuncta est cum sanguinis effusione, qvod in victimis V. T. abundè conspicitur, quæ omnes mactabantur, sed ita ut sanguis copiose fluenter, undè etiam vocantur cruentæ. Ita etiam Redemptor noster ejusmodi mactatione mori voluit, quæ sanguinem suum ex sanctissimo corpore eliceret, & qvidem tam largè, ut necessariò mors subseqvi debuerit. Qvia itaque vi decreti divini *citra sanguinis effusionem nulla sit remissio Ebr. IX. 22.* ideo quoque CHRISTUS per mactationem perpessus est mortem cruentam, id qvod crucifixio & copiosissima sanguinis effusio abundè testantur. (4) Ut expiatoriam & salutarem. Respicit namq; hæc vox mactationem agnorum typicorum, nec non aliarum victimarum, quæ pro homine offerente mortem promerito moriebantur. Pro ratione horum typorum CHRISTUS quoq; macta-

mactatus est ut agnus, non quidem ut tantum destrueretur, & è medio tolleretur, qvod quidem Judæorum finis erat in occidente CHRISTI; sed simul ad expianda peccata totius generis humani, qvæ ipsi imponebantur. Hæc itaqve hâc mactatione præstita mors surrogatitia illa satisfactio est, sine qvâ nulla peccata abolentur. Sed copiosius de his *in Sect. III.*

## §. XI.

Restat adhuc in analysi illa notatu dignissima phrasis: ἀπὸ καλαβολῆς κύρους, qvâ determinatio fit, quando ταβολῆς occisio agni illius facta sit. Καλαβολὴ descendit à κα- νόσμῳ Ταβάλω dejicio, qvæ vox in mediâ formâ significat jacio, & communiter usurpatur de fundamentis, qvæ jaciuntur, unde & illi, qui fundamenta ædium jaciunt, καλαβελανκίαι dicuntur. Jaciuntur verò fundamenta in infimo loco, qvod indicat καλα in καταβαλλω pro κάτω deorsum. Hinc καλαβολὴ propriè dicitur, cum qvid deorsum jacitur, vel cum res aliquando sumit exordium, aut exprimitur per jaçtum fundamentum ut: *i. Petr. I. 20.* Vid. *Leigh. Crit. Sacr. p. 316.* Cum itaqve h. l. cum mundo componitur, ejusdem fundamenti initium denotat. Decies hæc formula legitur in N. T. ter constructa cum præpositione πρό, *Eph. I. 4.* *Job. XVII. 24.* *i. Petr. I. 20.* & semper æternitatem circumscribit; septies verò cum præpositione ἀπὸ, ut h. l. Ita autem non uno modo in S. litteris sumitur, sed notat durationem vel ab omni antiquitate & memoria hominum, ut *Matth. XIII. 35.* *Luc. XI. 50.* vel ab æterno *Matth. XXV. 24.* *Apoc. XVII. 8.* vel ab initio temporis *Ebr. IV. 3.* vel à primo hominum lapsu

Ebr. IX.

*Ebr. IX. 26.* Qvinam significatus h.l. obtineat, facile perspicitur. Circumscribitur namque his particulis non principium aliquod ἀναγκῶν, sed ἀναγκῶν, temporis principio carens, id quod est æternitatis descrip<sup>tio</sup>. Sunt, qui distingvere volunt inter formulam hanc: πρὸ καλαθοῦς κόσμου, quæ legitur *i. Petr. I. 20.* & ἀπὸ καλαθοῦς κόσμου: illâ denotari putant nudam & meram æternitatem; hâc vero durationem finitam à mundi origine incipientem. Vertim omni usu & fundamento destituta est hæc distinctio, & destruitur inductione locorum, ubi ἀπὸ καλαθοῦς κόσμου non alter salvâ manente sensus textualis veritate & fidei analogia sumitur, aut sumi potest, quam pro duratione infinitâ, sive æternitate, ut sensus hujus phraseos idem sit cum aliis locutionibus, quando dicitur: πρὸ τὸν κόσμον ἔιναι *Job. XVII. 5.* πρὸ χρόνων οἰωνίας *2. Tim. I. 9.* ἀπὸ αἰχνῆς *2. Thess. II. 13.* Simili ratione in nostro loco ipsa æternitas infertur, & describitur mactatio ab origine mundi ut talis, quæ ab omni æternitate jam facta est, & efficax fuit, & in omnem æternitatem sese porrigit. Pro hâc hujus phraseos explicatiōne militat non tantum collatio locorum, in quibus necessariō de æternitate explicanda est, sed etiam ipsa materiæ necessitas, & fidei analogia. Agitur namque in hoc effato de satisfactione CHRISTI vicariâ ejusque efficaciâ. A quocunque autem tempore efficax fuit, ab illo quoque tempore CHRISTUS ad satisfactionem potest dici occisus. Jam verò ab aeterno efficax fuit: DEUS enim qui ab aeterno gratiam in Filio exhibendam lapsuris decrevit, sponzionem à Filio

Filio ab æterno factam illicò ratam habuit, æternum lytrum agnovit, & efficacem esse voluit, non aliter, ac si jam completa fuisset, qvia certò implenda erat. Ergò ab æterno etiam CHRISTUS potest dici occisus, qvia ab æterno à DEO fuit constitutus, ut esset agnus, ut occideretur ut agnus, ut occideretur ad expiationem hominum. CHRISTUS itaq; qvem in tempore homines occiderunt, à DEO ab æterno jam occisus est.

## SECTIO II.

DE

MODO OCCISIONIS AB ORIGINE  
MUNDI.

§. I.

**S**atis quidem, qvod analysin & sensum verborum *Modi* textūs concernit, pro instituto nostro hactenus di- *occisionis*.  
 ximus; qvoniam autem ultima præsertim analy-  
 seos verba altioris indaginis, & subtilioris paululum  
 argumenti sunt, qvām ut mutilatā meditatione ex-  
 hauriri possint, necessè est ut inmodum ac rationem,  
 qvomodo agnus hic *ab origine mundi* commodè possit  
 dici occisus, inqviramus. Ita namqve S. Scriptura  
 mortem CHRISTI nobis proponit, & fides nostra  
 etiam credit, ut semel tantum facta sit, cui adversum  
 esset, dicere, CHRISTUM ab origine mundi morti,  
 actuali scilicet, fuisse subjectum, aut mortem velle  
 multiplicare. Neqve etiam in his hæc Spiritus S.  
 locutio Scripturæ contradicit, aut fidei aliam atqve  
 D aliam

aliam mortem CHRISTI diversis momentis præstata  
tam proponit, sed unica eaq; propria est occisio, qvâ  
CHRISTUS DEO satisfecit, illa scil. qvam in tempo-  
ris plenitudine actu sustinuit. Conf. Ebr. IX. 25. 26. Rom.  
VI. 10. 11. Cum autem hæc non tantum ab ipso actu-  
alis perpessionis tempore, sed ab aeterno etiam nec  
non in ipso statim temporis & lapsus initio efficax  
fuerit, & variis promissionibus hominibus revelata,  
certisq; typis ita præfigurata sit, ut CHRISTUS  
etiam tum dicatur in Scriptura S. occisus, modus hujus  
maæstrationis variat. Aliâ ratione consideratur in æ-  
terno decreto divino, aliâ in promissionibus, aliâ in  
figuris & sacrificiis, aliâ respectu efficaciarum salutarium,  
qvam verè credentes V. T. semper percepereunt: Ubiq;  
una illa à Judæis facta maæstatio respicitur, nec diver-  
sitas est in ipsâ maæstratione, sed in considerandi modo:  
Consideratur enim mox ut *decreta*, mox ut *promissa*,  
mox ut *typica*, mox ut *semper efficax & salutaris*. Verba  
itaq; illa, qvâ *occisus est ab origine mundi*, idem sunt, ac  
si diceretur: Cujus occisionis veritas & vis variis  
modis ante impletionem destinati temporis declarata  
& exhibita est, ut non aliter habita sit apud DEUM,  
& homines, ac si jam ab origine mundi impleta fu-  
isset. Varios hos modos admittere quidem non vi-  
detur explicatio nostra horum verborum: αὶ τὸ κατα-  
βολῆς κόστος, utpote qvæ æternitatem hic inferre de-  
bere diximus in Sect. I. adeoq; varietatem hanc includere  
videtur maæstrationem qvâ *decretum æternum*, & cæ-  
teros modos omnes excludere, qvî in temporis ple-  
nitudine, & certis temporum intervallis concipiuntur.

Enim-

Emiñ verò locutio hæc omnes illos modos complefitur, qvibus CHRISTUS ante actualem mortis perpensionem occisus dici potest, hinc nec occisio per decreturn æternum, nec per promissionem, præfigurationem & fructum sempiternum in temporis initio ejusque incremento facta vel excluditur, vel excludi potest. Æternitas ponitur ceu terminus à qvo (analogicè sic dictus), qvi continuationem facti per alios modos, in tempore licet peractos, non respuit.

## S. II.

In enumeratione modorum, qvibus agni hujus *quod est* ab origine mundi mactatio facta intelligitur, omnes *quinam*? non convenient, alii eosdem contrahunt, alii magis multiplicant: qvibusdam placet numerus quinarius, qvibusdam denarius, aliis alias. Qvi ad quinq̄ modos omnia referunt, ita eosdem collocant, qvod facta sit occisio respectu (1) *participationis*; qvando sancti innocenter læduntur, in illis CHRISTUS occisus dicitur. (2) *decreti divini*. (3) *typorum V. T.* (4) *perficuarum predictionum Psalm. XXII. Es. LIII.* (5) *efficacie & virtutis in V. & N. T.* Vid. D. Hoë in *Comm. ad Apoc. cap. XIII. 8. lib. I. p. 454.* *Waltberus Harm. ad b. l. p. 1391.* Binibius retinet qvidem hunc numerum, mutatis tamen nonnihil modis, dum primo loco ponit (1) *divinum decretum*, (2) *desiderium*. (3) *efficaciam*. (4) *predictiones*. (5) *typos*. Conf. ejus *Mellific. Theol. P. I. Loc. 3. cap. 2. p. m. 152.* Qvi rem exactius dividere volunt, decem modos numerant, qvos omnes recenset D. Abrab. Battus in *disp. ad b. l. de agno ab origine mundi mactato membr. 4. eb. 14. p. 29.* Nos, qvia magis succinctam brevitatem diligimus, & res ipsa com-

modè quoque patitur, ad numerum quaternarium omnes modos reducimus, non tantum propriâ sed & aliorum Doctorum autoritate persvaſi, qvos hoc paſſu seqvimus. Docebimus itaque cum illis, agnum hunc ab origine mundi fuisse occisum ratione (1) decreti eterni, (2) promissionum, (3) typerum, (4) fructus & efficacie. Vid. Qvenſtedius Syst. P. IV. p. 62. §. 6. pag. 280. b. Prücknerus in Vind. ad h. l. Kromayer in Apoc. ad h. l. Magnific. Dn. D. Schelvgigius in disp. suprà p. 7. cit. p. 14.

## §. III.

*1. Macta.* Inter illos jam recensitos modos, qvorum singulatio per decreto divino aeterno. Decretum DEI nihil Decretum aliud est, qvam ejusmodi actus divinæ voluntatis, Dei quid? qvo DEUS aliquid certi de certo objecto secum constituit. Hoc vocatur in DEO decretum, qvæ vox ipsi tribuitur Eſ. X/IV. 24.27. ubi legitur ℞ qvod notat firmiter aliquid determinare, decernere, & constituere. Alias quoque dicitur filium, propositum DEI, dispositio & ordinatio divina; germanicè: Ein Rathschluſz/ ein gewisser Schluz. Cautè autem hæ voces ponderandæ, & de DEO usurpandæ sunt, ne, qvando ipsi tribuuntur, ejusmodi imperfectiones, qvæ in creaturis alias deprehenduntur, etiam perfectissimo Numini divino simul inferantur. In hominibus multæ dantur actiones, ad decretum aliquod constituendum concurrentes, qvæ inter se realiter differunt, uti etiam decretum ab essentiâ humanâ differt. In DEO autem decretum ratione voluntatis decernentis, & actus decernendi idem est cum DEO: qvia enim

enim DEUS actus purissimus est, utiq̄ & ipse actus decernens ipse DEUS esse colligitur, nec tantæ deliberationi & mutationi obnoxius est, uti cogitationes humanæ, unum ex alio colligentes, decernentes, & ubi aberrant, sese corrigentes: Sed decretum DEI in se, & in relatione ad DEUM est ipsa sapientissima DEI voluntas una & immutabilis, qvâ uno intuitu omnia ab æterno vidit, voluit, decrevit. De his *in Systematibus in artic. de DEO ejusq; attributis ex professo agitur.*

## §. IV.

Solent hæc decreta DEI varie distingvi, ita ut alia sint *voluntatis absconditæ*, *Ef. XLV. 14.* de qvibus nobis per revelationem, extra qvam de decretis divinis nobis judicare non licet, nihil constat: alia *revelata*, qvorsum præter alia referuntur etiam omnia illa, qvæ salutis nostræ ordinem concernunt, & in tempore executioni data, nec non in verbo DEI manifestata sunt. Deinde etiam qvædam docentur esse *voluntatis absolute*, qvando DEUS absolutè sine ullâ caussâ, sive sine intuitu ullius caussæ extra DEUM, & absq; conditione aliquid constituit. Sic v. g. decretum creationis est simpliciter absolutæ voluntatis, qvando decrevit DEUS absolutè, ex se, propter sese, & per sese mundum creare, ita ut nulla externa caussâ hoc decretum anteverterit, sed simpliciter de eo dicere possumus, qvod, & qvia DEUS voluit, fecit: qvædam *hypothetica*, qvando in decretis certæ conditiones inveniuntur, qvibus positis vel impletur, vel non implentur.

*Decreto-  
rum di-  
stinctio.*

D 3

§. V. Hæc

## S. V.

*Decretum de occiso* Hæc decretorum natura, & distinctio eum in fi-  
nem explicatur, & adducitur, qvo eò clarius constare  
ne Filii & possit natura æterni decreti de occidente Filii, nec non  
*ternum*. ad qvam decretorum speciem hoc referendum sit.

Cum enim, qvid decretum DEI sit, jam teneamus, facile judicare nobis licet, DEUM ejusmodi etiam de-  
cretum ab æterno secum constituisse, se velle Filium  
mittere in mundum, ut mactaretur. DEUS enim in-  
finitus est qvoad essentiam, ergo & omnia ea, qvæ in  
tempore egit, ab æterno agere decrevit, adeoq; qvod  
redemptionem hominum concernit, non tum deum,  
cum homo laberetur, decretum hoc fecit, se velle  
miserabilis generis humani lapsi misereri, & morte  
Filii sui unigeniti illud restituere; Sed in DEO omniscio  
& æterno non solum fuit decretum de producendo ho-  
mine integro, justo ac recto, sed & decretum de ho-  
mine post lapsum reparando, ac redimendo per Me-  
diatorem cœlitus ad id delegatum. Non tantum ab  
æterno DEUS vidit hominem certo tempore crean-  
dum, non tantum vidit ejus lapsum creationem mox  
secuturum; sed simul qvoque vidit illius liberandi &  
salvandi rationem, unde secundum hanc præsien-  
tiam, qvâ omnia uno intuitu comprehendit in uno  
præsentissimo *viv*, decreta qvoque constituit hoc or-  
dine, (licet enim non temporis, benè tamen ordinis

*Ordo de- cresorum* ratio in decretis DEI locum haberi potest,) ut *primum*  
*DEI.* fuerit de homine creando; decretum enim circa subje-  
cti existentiam debet præcedere decretis circa sub-  
jecti accidentia. *Hügmannus in Patrologia pag. 1143.*

*alterum*

*alterum de homine in integritate conservando*, qvare etiam lex de non comedendo de arbore scientiæ boni & mali insuper addita est. Cum autem hominem nihilo minus spretâ lege creatorem suum esu vetito offenditurum prævideret DEUS, tertium cœpit decretum de homine lapsuro puniendo, ut morte ipsi moriendum esset. Quid porrò? DEUS Iæsus per absolutam potentiam facinus hoc remittere neq;ibat; alias enim seipsum abnegasset, abnegasset suam veracitatem, sanctitatem & justitiam. Neque etiam consilium de creando homine immutare poterat, ita ut illum non produceret, sic enim decreta DEI mutabilitati obnoxia redditâ fuissent, sed debuit universum genus humanum creare. Hoc autem adeo deperditum erat futurum, ut in æternum debuisset perire. Succedit itaque ad intercessionem Filii *quarum decretum de restituendo genere humano, & satisfactione vicariâ admittendâ*, ita ut consentiente totâ Trinitate definitum fuerit, semen mulieris conterere debere caput serpentis. Hunc decretorum divinorum ordinem servat, & nobis suppeditat D. J. A. Ofiand, in Coll. Theol. System. P. IV. Loc. II, tb. i. p. 3. dicens: *Decretum mittendi Redemptorem humano generi in signo rationis divina præcessit decretum prædestinationis & successit decreto permittendi lapsum Protoplastorum, eumque puniendi.* Conf. Rappoltus in Oper. Theol. p. 461. &c. Absit tamen, ut in DEO decreta ita multiplicemus, acsi unus actus decerneret creationem, alter actus redemtionem, & sic porrò, sed unus & simplex actus est, hæc omnia decernens. In DEO non sunt multa decreta, sed unus actus circa diversa decernibilia occupatus, inquit D. Dannbauer

bawer in Hodo s. p. 204. Et pag. 230. hæc verba habet: *Ordo decretorum non est realis, sed rationis nostra ratiocinata, quæ actum simplicissimum in varia instantia, momenta ac horum conceptus distinguit, unum ut amplius, alterum ut angustius ratione objectorum, concipit.* Illud autem, qvod in ordine nostro ultimum tenet locum, id ipsum est, qvod vocamus decretum æternum de mactatione agnī JESU CHRISTI. Non obiter, vel leviter, vel subito impetu in cogitationem redēctionis Filii DEI devenit, sed in arcā consilio Trinitatis decretum hoc fuit ante tempora secularia, sunt iterum verba D. Danhaweri in l.c. p. 486.

## §. VI.

*Prob. ex 1. Petr. I. 19. 20.* Ne autem frustra, & sine fundamento dixisse hoc videar, afferam aliquot loca Scripturæ, in quibus Spiritus S. mysterium hoc tām perspicue nobis aperit, ut pro dogmatis hujus sede palmariā constanter haberi queant. Inter illa primo loco attendenda verba Petri, qui i. Epist. Cap. I. 19. 20. æternum mactationis hujus agni decretum ita definit, dicens Auditoribus suis: *Vos redemti estis pretioso sanguine agni immaculati & incontaminati CHRISTI, præogniti quidem ante constitutionem mundi; manifestati autem in novissimis temporibus propter vos.* Abutuntur quidem Papistæ & Calviniani hoc loco in artic. de Electione, ex quo probare nituntur, CHRISTUM pariter, ut homines, esse objectum electionis, sed eo ipso declarant, sese pravè hunc locum intelligere. Non enim nuda vox ποιησατείν per se sensum constituere valet, nec præcisè consideranda, sed in contextu. Adeo autem v. 18. 19. 20. inter se cohærent, ut unicè de salutari per JESUM CHRISTUM facta redem-

redemptione per singula verba agant, nec sine apertâ violentiâ unam vocem aliundè trahere sinant. Tres præscientiae significations colligit ex Scripturâ S. D. Salomon Gesnerus disp. XV. in Lib. Conc. cap. 2. qdæst. 1. docetqve, sumi eam (1) generalissimè, qvando se se ad omnes crearuras extendit tam bonas, qvam malas. (2) strictius, qve tantum ad fidèles & electos DEI filios pertinet. Rom. VIII. 29. (3) angustissimè, qva solum CHRISTUM & opus Redemtionis complectitur, uti h. l. & in aliis jamjam allegandis. Nullibi igitur invenitur eo sensu adhibitum, ut electionem CHRISTI inferat, qvid ergò h. l. eandem significare posset, præsertim cum sensus textûs non tantum malè corrumperetur, sed medio etiam contextui alia planè materia immisceretur: priora & ultima namque verba totius periodi describunt opus Redemtionis, qvî ergo hæc verba in medio posita, & cum aliis descriptionis & explicationis gratiâ connexa, de electione CHRISTI agere possent? Qvod unica materia de opere redemtionis per omnia verba militet, his terminis apertè demonstratur: Qvicunque nos redemit pretioso sangvine, redemit nos ut agnus, qvicunque nos redemit ut agnus, ab æterno ut agnus præcognitus est: qvicunque ut agnus præcognitus est, ut agnus etiam in tempore manifestatus est: manifestatio enim respectum habet ad præcognitionem, & ita CHRISTUM dicit revelatum, uti præcognitus est; jam verò non manifestatus est ut electus, sed ut Redemptor. Ergò ut Redemptor etiam præcognitus est. Si quis ipsum electum Redemptorem vocare vellet, sponte admitteremus cum D. Scherzer in Syst. Log. XVIII.

§. 4. p. 479. Electionis autem nostræ ad salutem æternam eum constituere objectum, planè rejicitur, qvia CHRISTUS ut eligens ab electis distingvitur: Si ergò eligens & electus esset, seipsum elegisset. Proinde malè ab hæreticis, benè autem ac convenienter à nobis hic locus adducitur, nec προγνώσκειν involvit electionem ad salutem, sed propriè est antedecerno, prædecerno, antea nosco, vi cuius significatus notat hīc intuitum meriti CHRISTI æternum, qvando, ut Waltheri verbis utar ex Harm. Bibl. p. 1294. DEUS ab eterno non tantum vidit, ipsum fore agni instar mælan-dum, sed etiam hoc decretum fecit, qvod per hanc ejus mæla-tionem opus redēctionis generis humani sit peragendum.

## §. VII.

*Act. II. 23.* Alter locus habetur *Act. II. 23.* dicente Petro Judæis: Hunc, JESUM scil. Nazarenū, definito consilio & præscientiā DEI traditū per manus intq; vorū accipientes & affi-gentes interemisti. Huic statim subjungimus verba pa-  
*Act. IV. 27.* ubi Apostoli inquit: Convenierunt adversus JESUM Herodes & Pontius Pilatus cum genibus & populi Israël, facere, qvæ manus tua & consilium decreverunt fieri. In his locis non tantum manifesta æterni decreti de occidendo CHRISTO mentio fit, sed & simul co-natum actionumq; Judæorum impiarum ratio habe-tur, decretoq; æterno subjiciuntur. Qvod namq; ipsum decretum æternum attinet, satis id stabilitur vocibus de-finiti consilii, præscientiæ, decreti, qvæ omnia sub æternitatem cadunt, æternitatē reqvirunt, æternitatem in volvunt. Nec enim consilium DEI, qvod definivit, neq; præscientia, neq; decretum temporis differen-tiam

tiam innuunt, ac si apud DEUM daretur prius & posterius, ita ut qvicqvam esset præteritum, cuius recordaretur, qvicqvam futurum, qvod præcognosceret, de qvo talia consilia caperet aut decerneret, de qvibus ineundis antea nunqvm cogitasset: sed hæc vocabula notant æternitatem *ἀετερον*, inqve illâ DEUM de salute nostrâ per mactationem CHRISTI acqiriendâ consilium cœpisse docent. Æterni autem hujus decreti objectum non tantum constituitur nuda mactatio, sed considerata simul ut executioni data per manus Judæorum, dum Judæi JESUM consilio & præscientiâ DEI traditum accepisse, eaqve, qvæ manus & consilium DEI fieri decreverunt, facere dicuntur. Nonne autem hæc Judæos à nefando hoc scelere absolvere, & cauſam mortis DEO ejusq; prædefinitioni adscribere videntur? Nonne hoc fuerit decretum crucifixionem in Judæis cauſaliter producens, & prædeterminatiōnem voluntatis eorum innuens? Nonne hæc indicant absolutam DEI voluntatem, qvafsi voluisse, ut Judæi sceleratissimi Filium DEI interimerent? Nonne necessitatē qvandam inferunt, qvā ad crucifigendum CHRISTUM divinitus fuerunt impulsi? Verum enim verò blasphemæ ejusmodi hîc qvidem exfugunt in DEUM sanctum blasphemi, sed reverâ hæc ita in locis adductis proponuntur, ut sanctitatem sanctissimi DEI non evertant. Consilium DEI definitum, decretum, & præscientia h. l. nihil aliud notant, qvām dispositiōnem DEI, qvā ab æterno prævidit omnia Judæorum consilia & actiones, illaq; permittendo ita moderatus est, ut inde generis humani salus eliceretur.

Doctores nostri, qvando in hæc loca incident, discri-  
men faciunt inter consilium & præscientiam, ita ut ~~hic~~  
respiciat factum Judæorum, illud verò salutarem pas-  
sionis finem. *Præscientia* est, qvâ ab æterno D E U S  
vidit Judeorum adversus CHRISTUM rabiem & fu-  
rorem; *consilium* autem bonum illum finem denotat,  
propter qvem DEUS factum hoc atrocissimum per-  
misit, scil. redēmptionem generis humani. Hinc qvōq;  
in posteriori loco non dicitur, DEUM decreuisse, ut  
Herodes, alioq; hæc facerent, sed dicitur, illos con-  
venisse in unum, ad faciendum id, qvod manus &  
consilium DEI decreverunt fieri, qvæ phrasis finem  
illum designat, ob qvem DEUS permisit, ut fieret id,  
qvod Herodes, Pontius Pilatus & Judæi alias sponte  
sua proprio & inextinguibili odio furiole fuissent per-  
petraturi.

*Judeorum* Sed inqves forsan: *Si passio & mors CHRI-*  
*stæ non STI fuerunt necessaria, & destinata in eterno SS. Trinitatis*  
*fuit necesse consilio, necessario qvōq; conatus Judeorum requiritur, & ad*  
*farsa, & crucifigendum CHRISTUM debuerunt impelli, cum alias CHRI-*  
*STIIS nec mortuus fuisset, nec commode potuisset. Cruentam*  
*autem mortem, qvalis à justitiâ divina exigebatur, nullo modo*  
*perpeccus effet, nisi violento modo abs hominibus illi infensis.*  
*Observetur autem, qvod hoc ultimum concernit, DE-*  
*UM vicariæ huic operæ neutriqvâm fuisse adstrictum,*  
*sed mille alias modis viam invenire valuisse, qvâ Je-*  
*hova Messiam conterere potuisset, uti jam in horto*  
*oliveti sine Judæorum adminiculo passus est, & si*  
*homines planè abstinuissent, DEUS ipse Filium suum*  
*interfecisset, id qvod nos solidissimis rationibus circa*  
*hoc argumentum in peculiari dissertatione à MAGNIF.*

D N.

DN. PRO - CANCELLARIO adductis commoti credimus. Interea autem qvia DEUS ab æterno prævidit Judæorum malitiam, invidiam, odium, ac furorem, qvibus impulsi JESUM hostiliter sint persecuturi, & crudelissimæ morti daturi, & nullo modo omissuri præscivit, præ cæteris hos homines decrevit admittere, eorundemque operâ in hoc negotio uti; idèò etiam permisit talia facinora Judæis, *ut per ipsos fieres, non QVIAM aut QVOMODO sed QVOD voluntas ante a fieri decreverat*, uti loquuntur Theologi. Qvis igitur hic qvoddam in Judæis necessitatis vestigium videt? Neqve à decreto, neqve à præscientiâ qvædam necessitas dependere, & exoriri potuit, cum vi decreti DEUS voluit occisionem CHRISTI, vi præscientiæ & consilii prævidit tantum mala Judæorum molimina, illaque fieri permisit, & ad salutarem finem direxit, ut adeò minimè vel voluerit, vel approbaverit, vel ullo modo procuraverit impium Judæorum facinus, sed tantum per miserit, & sapientissimâ directione malum hoc in bonum converterit. Passionem & mortem Filii passivam DEUS voluit, Judæorum autem mactationem activam, ceu malum culpæ non voluit, sed cum hæc omnia scivit, etiam fieri permisit, & scelus, qvod ab aeterno scivit, duxerit ad optimum finem, quem ab aeterno voluit... Apparet hinc, Judæorum factum fuisse merum contingens, qvod fieri potuit, & non potuit, minimè autem necessarium ob præscientiam divinam... Dicis cum Calvinianis: *Qvodcumq; DEUS præscivit, illud necessariò sit*. Atq; Judæorum factum DEUS tamen non in præscivit. Ergo. Resp. Præscientia contingenter futuri *infert necesse est*.

DEO non tollit contingentiam rerum; quanquam enim contingens futurum est, verè tamen futurum est, & sic etiam verè præsciri potest. Major itaque, si procedere debet, ita formanda erit: Qvodcumque DEUS præscit, illud infallibiliter fit. Possunt enim etiam contingentia præscita fieri infallibiliter, sed tamen contingenter, ita ut infallibilitas competit præscientiæ, contingentia rebus. Magnum est inter præscita discrimen, ut multa fiant DEO agente, multa permittente, multa voluntate absolutâ, multa autem ordinatâ. Neutra habent necessitatem eventus à prævisione, sed tantum infallibilitatem, cum DEI præscientia non possit falli. Conf. D. Rappolitus in Oper. Theol.

p. 1265. seqq. Instas porrò: *Quacunque DEUS permittit,*

*illa decrevit permittere, sive vi decreti necessariò sunt, alipi propriè DEUS permittit Iudeorum actiones impias. Ergo illas decrevit non est permittere &c. Maj. connexio fundata est in distinctione decreti decretum. efficientis & permisivi, apud Theologos frequenti. Resp. Licet à Nostratibus lato sensu adhibetur, stricto tamen & accurato permisso non est decretum, sed juxta decretum exigitur. Non omne, qvod DEUS vult, decernit velle, & decretum voluntasque distinguitur ut attributum, & operatio ejus. Imò cum decretum phrasí Scripturarum denotet influxum DEI causalem, permisso malorum non potest dici decretum. Porrò licet permisso non sit otiosa, qvæ variè occupatur circa peccata, tamen non debet dici decernens, ordinans, & ponens futuritionem peccati, qvæ sunt verba Maresii System. Lib. IV. §. 18. Conf. Scherz. System. Loc. VI. S. 9. p. 131. Omnis circa hanc materiam difficultas tol-*

litrur

litur vocibus decreti, præscientiae & consilii benè distinctis & intellectis. Ad *decretum* pertinet hoc: Filius DEI pro genere humano est occidens. *Præscientia & consilium* Judæorum conatus prævidit, fieri permittit, & ad salutarem finem ordinavit. Vid. *Waltherus Harm. ad b. l. p. 1001. 1003. Qvenstedius Syst. P. I. Cap. 13. Sect. 1. tb. 22. p. 534.*

## S. VIII.

Qvia §. 4. mentionem feci distinctionis inter de- *Decretum*  
cretum voluntatis absolutæ & hypotheticæ, paucis  
qvoqu jam attingamus, ad qvamnam speciem hoc de- *hoc num  
occidente agni referant Theologi. Secundum inanem  
Judæorum opinionem ipsis adhuc est hypotheticum,  
dum docent, DEUM sub conditione pietatis promi-  
fisse Messiam, peccataqe eorum obstat, qvo minus  
reipsa exhibeat. Vid. *Helvici disp. in Tom. IV. disp.  
Gies. XII. p. 278.* Nostrates etiam diversimodè in hac  
causâ loqvuntur, dum qvidam dicunt esse absolutum,  
qvidam hypotheticum. *D. Rappoltus* simpliciter ad  
absolutam voluntatem refert, dicens: *Sic absque ullâ  
conditione vult DEUS creare mundum, mittere Filium, con-  
servare res universas, resuscitare mortuos.* Vid. ejus *O*p.*  
Tbeol. p. 1255.* *D. Lysenus* in eandem sententiam inclinat,  
inqviens: *Primam decretum de hominis salute, & Filii mis-  
sione potest etiam absolutum dici, quod ex merâ DEI misericor-  
diâ sine ullo externo movente constitutum sit.* Addit tamen:  
*nisi, quod habeat objectum præsens, hominem lapsum, quod in  
creatione erat non-ens.* Vid. ejus *Syst. p. 314.* *D. Dannhauer.*  
*in Hodosopb.* modò absolutum, modò hypotheticum esse  
vult. *Pro absolute agnoscere videtur, dum inquit:**

*Est præterea voluntas DEI vel absolute pervincens omnia obſcula, ac, ut August. amat loqui, invicta ac omnipotentissima, talis est promissio Messie, resurrec<sup>tio</sup> carnis : vel conditionata &c. Ad utrumq<sup>ue</sup> autem, fed diverso respectu refert p. 305. cuius verba in compendio hæc sunt : Sic hypothefeos fuit Filium DEI incarnari, si scil. homo laberetur, & postquam incarnationis decretum Filiū decretū fuit, absoluti decretū fuit incarnationis executio.*

## §. IX.

Habes itaque primum mactationis hujus modum, quæ facta esse creditur in decreto divino. Si igitur certe jam persuasi sumus DEUM decreuisse ab æterno hanc mactationem, ejusque decreta esse immutabilia, infallibilia, & firmissimum nexus cum re decretâ ejusq<sup>ue</sup> executione habere, adeo ut necessariò ita debent evenire, quid impedit dicere, agnum hunc fuisse mactatum in decreto æterno ? DEUS illam jam ab æterno respexit, dum intuitu hujus mactationis hominibus salutem decrevit, homines finaliter verâ fide huic mactationi adhaerentes elegit, & salvos facere constituit. Ita DEUS illam jam ab æterno efficacem fuisse agnovit, & pro jam impletâ habuit, quidni & nobis licet dicere : *agnus occisus est in decreto æterno?*

## §. X.

*2. Mactatio facta est in promissionibus divinis. Postquam DEUS æternus jam decretum de agno hoc in tempore mactando ab æterno fecisset, inque illo decreto ipse jamjam Filium mactasset, promissionibus etiam in tempore mactare eundem voluit, ita ut hominibus*

minibus in peccatum prolapsis, & in æternum perit  
turis, vicariam agni æterni pro ipsorum salute ma-  
ctationem verbis externis revelaverit, & ad apprehenden-  
dum exhibuerit. Aliunde hominibus hæc non potu-  
erunt innotescere. Sicut enim non nisi infinita sapi-  
entia in æternitate consilium de salute lapsi generis  
humanæ invenire potuit; imò sicut non nisi infinita  
potentia illud exequi potest; ita quoque non nisi ea-  
dem sapientia æternum illud consilium, & summum  
mysterium orbi revelare potuit. Mysterium itaque  
hoc æternis temporibus tacitum ex bonitate suâ nostris  
quoque Protoplæstis manifestavit DEUS, dum Adamo  
veste sanctissimâ se exutum sentienti, loca opaca quæ-  
renti, æternam pœnam fæse promeritum esse eo ipso  
indicanti, indeque in summo conscientiæ angore con-  
stituto, gratosissimam Evangelii promissionem *de  
semine mulieris contrituro caput serpantis* annunciat, grati-  
amque suam salutarem sufficienter eo ipso offert. Atque  
hæc omnium promissionum prima est, vocaturque  
*προφεναγγέλιον*, non tantum quoad ordinem revelatio-  
nis, & scriptio[n]is, sed & ratione relationis, qvarum ingens copia in  
V. T. habetur, primam hanc respiciunt, ex ea descen-  
dunt, illam uberioris explicant, & tam crebro quoad  
materiam repetunt. Materia vero & argumentum  
hujus *προφεναγγέλιος* est nulla alia, quam meritum Mes-  
siae, maectatione agni hujus præstandum, id quod ex  
resolutione strictim adjectâ abundè patebit. Notetur  
modò (1) *inimicitarum Autor*, qui est Jehovah Elohim  
loquens hic cum serpente, ut Judex, *Is enim judi-*  
ciali-

cialiter has inimicitias constituit adversus Satanam, omnis mali Autorem. (2) *Inimicitie ipse.* Hæ constunt in diffensu ipso perpetuo, odio gravi, ac bello irreconciliabili, qvo omnis amicitia ac pacis recuperandæ spes sublata est. Eva abhorrebit ulterius conversari cum Satanâ, & Satanas hominem apertum sibi hostem constitui audit. Inimicitiae erunt tantæ, ut nullius in posterum inter hos familiaritatis, nullius fiduciae locus reliquus sit, sed hostes extremè sese invicem persequebentes existent. (3) *Partes dissidentes.* Opponuntur hîc non tantum serpens personatus, diabolus & mulier Eva, totum genus humanum hîc repræsentans, sed & semen Diaboli, h. e. omnes mali spiritus, qui cum ipso una defecerunt, & semen mulieris, qvo intelligitur singularis ille & insignis DEI Filius, qui solus tanti erat roboris, ut Satanam debellare posset. Fuerat quidem Satan hostis Filii DEI proprio lapsu factus, ita ut hîc ratione justitiae suæ nunquam favere possit diabolicæ malitiæ, sed ratione generis humani novæ inimicitiae cum Filio DEI & Satana exoriuntur, ut ceu Mediator pro nobis oblatus ipsi resistat, & ex ejus imperio homines ad DEUM perducat. (4) *Capitio serpentini contrito.* Per caput serpentis intelligitur tota nocendi vis, robur ac universum imperium diaboli. Conterere itaq; caput serpentis notat hîc potentia diabolicæ & regni infernalis oppressionem, dissolutionem, & abrogationem, qvando CHRISTUS omnem vim, qvam Satan erga hominem exercere potest, ipsi eripuit, atq; adeò destruxit, ut nil amplius valeat diabolus. Et hoc omne præstitit morte cruentâ,

qvam

qvam ipsi infixit Satan mordendo calcaneum. (5) *Calcani vulneratio.* Calcanum CHRISTO vulneravit Satan, cum, excidium certum sibi jam sub CHRISTI pede imminere sentiens, omnes nocendi vires in hoc, qvo premebatur, calcaneo effunderet, eundemque gravissimè atterere & lacerare contenderet. Perfecit autem hoc non tantum per tentationem, *Mattb. IV. 3. 6.* sed maximè per externam afflictionem, passionem, mortemque cruentam. Eo enim ipso, dum CHRISTUS traditus, captivatus, percussus, flagellatus, ac crucifixus est, eo ipso etiam sentiebat morsus serpentinos. Uberiorem hujus dicti explicationem si desideras, lege & relege *Colleg. Höpfner. bibl. ex MSS. editum à Magnif. Dn. Pro-Cancellario loc. III. p. 78. seqq.* ubi qvæ hīc succinctè & *ἀς εἰ συνόψει* traduntur, copiosius & solidius declarantur. Conf. etiam *Geitri diss. de protovangelio ex opusculis philologicis* p. 281. Nolumus prolixiores esse, qvia ex succinctâ illâ resolutione jam, qvid desideremus, constat. Qvis enim non videt, haberi hīc promissionem divinam, qvâ CHRISTUM mortem pro nobis, ut justitiæ divinæ satisfiat, esse gustaturum, opusq; redemptionis perfecturum, in summum solatium hominibus revelatur.

## §. XI.

Ejusmodi promissionibus salutaribus totum V.T. *quam in* abundat, qvæ tamen omnes ad primam hanc eamq; *ἐπαγγέλια*, primariam promissionem referendæ sunt, & vocantur uno nomine *ἐπαγγέλια Gal. III. 18.* suntq; nihil aliud, qvam postilla & explicatio ipsius Proto-Evan- gelii, qvæ clarius subinde istud exponunt, & com-

muniter à Practicis Theologis occasione concionis in itinere Emauntio habitæ in unum colliguntur.

Quæcumque, verba sunt B. Gerbardi loc. de Evang. §. 39. in scriptis V. T. de persona, officio, passione, resurrectione, aliisve operibus ac benefitiis Messie vaticinia extant, nihil aliud sunt, quæam prima illius Evangelica concionis per Filium DEI in Paradise revelatae illustriores repetitiones & declarationes. Inter illas επαγγελίας principem tenent locum promissiones Patriarchis nonnullis de Messia in specie datæ, in quibus non tantum repetitur, & plenius explicatur Proto-evangelium, sed & simul determinatio fit, ad certam aliquam personam, ejusque posteritatem. Ita primâ vice clarissimè & explicitis verbis à DEO ipso immediate Abrahamo facta est promissio, quæ sepius ad tres Patriarchas, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, imò ad Abrahamum ter repetita est, ut Paulus quoq[ue] qvia tām egregiè in Scripturā commendatur, peculiariter nomine προ-επαγγελία illam insigniendam censuerit Gal. III. 8. Distinctis in locis exprimitur, ut Gen. XII. 3. XXII. 18. ubi ita effertur: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terra.* Unica hæc omnibus in locis contenta promissio plenius id explicat, quod ante promissum erat. Idem enim semen Mulieris hic respicitur, & diversimodè exprimitur: nam Gen. XII. legitur *in te*, cui æqvipollit *in illo* Cap. XVIII. utrumq[ue] autem conjungitur Cap. XXVIII. & exponitur per verba, *in semine tuis* Cap. XXII. Ergo *in te* h[ab]l. idem est ac *per te*, sive per posterorum tuorum aliquem, benedicentur gentes terræ, explicante ita B. Höpfer loc. cit. p. 85. Indicari autem h[ab]c Messiam, confirmat locorum parallelorum

forum ad Messiam hanc benedictionem referentium consensus, ut *Ps. XXI. 7. LXXII. 17. Ad. III. 25.* & imprimis *Gal. III. 14. 16. Ebr. VI. 13. 14.* Benedictio, qvæ hic Messiae futuro semini mulieris tribuitur, describit ipsius officium plenius, docetqve, qvod omnis benedictionis cauſsa solitaria sit futurus, omnisqve benedictio in ipsius merito fundata sit, qvam, dum in cruce pro nobis maledictus fit, & à serpente vulneratur, acqvirit, eum in finem, ut in nos rursus sit derivanda. Insuper peculiare qvid *h. l.* additur, restrictio scil. genealogiæ Messiae ad familiam Abrahamiticam, in & ex qvâ aliquando sit exspectandus, id qvod deinceps iterum repetitur, & ad specialiorem in posteritate Abrahamiticâ familiam determinatur, ut *2. Sam. VII. 12. Pt. LXXXIX. 4. CXXXII. 10. Conf. Jer. XXIII. 5. 6.* illaq̄ determinatio fuit ultima, nec postea ad certam personam restricta est nativitas Messiae, donec in individuo Maria mater ipsius eligeretur. Nec sine cauſsa DEUS hoc fecit, sed solenni hâc repetitione, & specialiori ad Abrahamum atq̄ Davidem factâ determinatione promissionem de semine mulieris in vero suo sensu integrum conservare, fidem recipientium semen mulieris tantò magis confirmare, nec non certiorem ejusdem demonstrationem, quo minus, cum in carnem veniret, homines de persona ipsius errarent, addere DEUS intendit. Quantâ igitur ubertate & claritate jam in *V. T. mactatio agni hujus proposita, & fundata sit in promissionibus divinis evangelicis, jam elucet.* Data namq̄ est promissio de semine mulieris, ex qvâ primâ promulgatione pii veteres statim cognoverunt, ac

crediderunt, Messiam pro peccatis totius mundi mactandum, atque occidendum. Datae sunt reiteratae promissiones, quibus primo huic Evangelio major semper lux accessit, eoque ipso mactatio agni hujus magis magisque declarata & credita fuit. Omni jure itaque dici potest, mactationem agni ab origine mundi factam etiam fuisse in promissionibus divinis. Promissionibus enim suis DEUS se obligavit ad conformanda facta cum dictis externis. Jam vero promissiones divinae aeterna & immota veritas sunt, quae nunquam possunt fieri irritae. DEUS veracissimus in omnibus promissis suis fidelis est *Rom. III. 4.* atque potens, id, quod promisit, praestare, *Rom. IV. 21.* ad haec fundatae sunt in merito CHRISTI, in quo omnes promissiones sunt Amen. *2. Cor. I. 20.* Hinc de impletione earundem minimè dubitandum, sed ob veracitatem DEI habentur promissa, ut jam exhibita, & quod maximum est, ipsa res promissa actu conferebatur creditibus, dum homines in promissum Messiam credebant, fide mortis beneficia sibi applicabant, atque sic salvi siebant. *Vi barum ut presulatum judicatur, quod prestandum est, & veluti presens, quod futurum.* In his agnus ab origine mundi promissus, talis, qualis mactandus fuit, per fidem agnitus fuit, sunt verba *D. Battii in disp. de Agno ab origine mundi mactato, thes. 16. pag. 33.*

## §. XII.

*g. Maclia-* Tertium modum occisionis agni ab origine mundi per sacrificia & victimae ceu typi nobis ostendunt. Tanta crux. DEI gratia fuit, ut id quod de Redemptoris merito in aeterno consilio decreverat, non tantum per clarissima verba,

verba, & promissiones fidem generantes & conservantes revelaverit, sed adhæc etiam certas figuræ ac typos plenius hoc mysterium indicantes in Ecclesiâ sua instituerit, qvæ, simulac ordinata fuerunt, ingentia Protoplantis mentis angore confectis solatia derunt. Cum itaque non incidenter, sed vi materiae textis sacrificiorum mentio facienda hîc fuit, paucis qvoque ad expendenda illa compellimus. Prolixius autem in præsenti illa non pertractabo, qvâm ut eorum considerem *caussam efficientem, & finem atq; usum.* *Caussa effi-*  
*Caussam efficientem primariam DEUM statuimus, cens sacri*  
*qvippe qui tam Sacrificia ipsa, qvâm modum sacri- ficiorum.*  
 sacrificandi instituit, ordinavit, præscripsit. Ille primus omnium homines sacrificare jussit: Sine ipsius enim ordinatione & institutione neque sacerdotalis oblatio, neq; sacrificia ipsi placere possunt, sed nomine *εθνο-*  
*θρησκειας* veniunt, & à DEO simpliciter rejiciuntur.  
*Math. XV. 9.* Omnis cultus debet esse congruus atq; conformis voluntati ejus, qui colitur. Quomodo autem cultus divinus poterit esse conformis voluntati divinæ absq; certâ normâ revelatâ? DEUS quidem modum colendi cordi hominis inscripserat, suam concedens ipsi imaginem; hâc vero omisssâ non potuit amplius qvid in cultu DEO placens ex corde per se prodire. Etsi enim reliquiae DEUM colendum esse naturaliter semper dicitent, modum tamen colendi homo per naturam indagare nequit. Opus ergo revelatione fuit, per qvam colendi modum DEUS, ut sapientissimus, patefecit, nec aliunde norma cultus peti potest. *Qvia itaque & Sacrificia ad cultum*  
*DEI*

DEI pertinebant, evidens est, primos Patres illa non citra aliquod certum DEI verbum ex solo dictamine rationis excogitasse, sed DEO Autore cum primâ Evangelii revelatione de semine mulieris simul instituta, & Adamo, omnibusque fidelibus V. T. imperata fuisse. Habemus hujus rei certa indicia atque fundamenta in sacris litteris. Attendamus modò tunicarum pellicearum statim post lapsum in usum hominibus primis paradiso nondum expulsis à DEO factam præparationem, inveniemus ibi primæ *Gen. 3.23.* speractæ vestigium. Unde enim tunicae illæ pelliceæ, quibus DEUS Adamum & uxorem ejus vestire volebat tegendæ nuditatî? Nonne à mactatis pecudibus? Qvo fine enim pecudes mactatæ sunt: Num ideò tantum, ut pellis detrahatur? & carnes tanquam inutiles abjiciantur? Hoc credibile non est. Num igitur ad esum humânum? Neqve hic finis obtineri hîc potuit, qvia ante diluvium carnibus ad victimum uti hominibus integrum non fuisse, communiter judicatur ex *Gen. 11.34.* Ergo pia conjectura nos dicit in primam sacrificiorum commendationem & institutionem. *Calv. in Bibl. illusfr. ad Cap. III. Gen. v. 21.* Huic conjectura apodicticis argumentis succurrit Scriptura, qvando DEI voluntatem & mandatum non uno modo confirmat. Confirmat hoc *inductione primi sacrificii Abelis*, de qvo commemorat, DEUM respexisse ad Abel & munera ejus, qvæ verba gratiosam DEI complacentiam nobis proponunt, qvæ pariter incensione illâ declarabatur, ceu visibili gratiæ signo, & singulari testimonio, qvod placeret DEO, & acciperetur. Hæc autem complacentia, præsupponit

ponit divinum mandatum, quam alias Abel naturali impulsu & conatu nullo modo sibi conciliaisset. Testari hoc videtur Paulus Ebr. XI. 4. inquit: *ab aliem fide sacrificasse*. Si autem secundum Rom. X. 17. fides sine verbo DEI esse nequivit, utique Abeli fides hic certo quocunque DEI verbo nisi debuit. Confirmat hoc expressa mente mandata dicente Paulo Ebr. IX. 20. *Hic est sanguis vestimenti*, (loquitur de sangvine pecudum sacrificialium V. T.) quod DEUS vobis mandauit. Confirmat hoc exemplo Noe, qui altare aedificavit, inquit illo holocausta obtulit, quorum gratum odorem DEUS odoratus est. Gen. VIII. 20. Hoc ipsis Noah non novam religionis formam introduxit, sed a DEO jam institutam continuavit. Nec non exemplo Abram, cui DEUS ipse praecipit, quid & quomodo sit sacrificandum. Possent hic cumulari rationes, & longe plures afferri, sed quia ubivis haec obvia sunt, remittam B. L. ad Systemata Theologica, & imprimis ad Quenst. Antiqu. Bibl. p. 217. seqq.

## §. XIII.

Quia autem sacrificia haec DEO Autore instituta erant, certum etiam finem DEUM intendisse rectissimum colligitur. Hic autem *finis ac usus* geminus est, *sacrificiorum finis*, *legalis & evangelicus*. Cum enim leges ceremoniales, hisque contenta sacrificia, non essent nudè media evangelica, hominibus in salutis oblationem & applicacionem absque legali quādam obligandi ratione à DEO proposita, sed appendices tabulae primæ, per formam legis homines ad obedientiam obligantes, illum etiam finem apud populum obtinebant, qui in secessu legalis erat. Homines namque peccatores de peccati gravitate, atrocitate

citate & reatu admonere, sicutque medium concitandi contritionem esse, innuit operationem officiumque legis. Et hic sacrificiorum finis erat, teste Apostolo,  
alio  
evangelie  
cuius, qui  
consistit  
tam qui *avāvūnōn̄ aūāḡiōn̄* ipsiis tribuit. *Ebr. X. 3.* Minime autem coērcebant tantum vesani populi idolomaniam, & ad externa tantum legalisque sanctitatis mandata pertinebant, sed &, quod primarium eorundem officium erat, Evangelii summam exhibebant, dum destinabantur ad præfigurandam futuram Messiae maſtaſionem, hinc alius finis, *Evangelicus scil.,* ipsiis accessit, qui in *adumbratione veriti CHRISTI, & expiatione peccatorum typicā* consistebat. Nonne hoc est agere de gratiâ per JESUM CHRISTUM partâ, quam sola lex neq; in *adumbratione.* cognoscit, neq; adumbrat, aut offert? *Adumbratione.* enim quod attinet, illam principalem sacrificiorum finem cum Theologis facimus, inque eo consistere notamus, quod sub variis figuris unicum illud sacrificium propitiatorium CHRISTI in arâ crucis suo tempore immolandum eminus ostenderent, atq; præfigurarent. Fuerunt itaque primariò umbræ, quæ denominatione veniunt D. Paulo *Ebr. X. 1. Col. II. 17.* quando ceremonias illas sacrificiales appellat futurorum *umbras.* Η σκιὰ denotat umbram artificialem, sumt̄ metaphorā à pictoribus, qui *εἰκόνα,* seu ipsam imaginem effingere volentes prius ruditer rem delinearant, & lineis quibusdam obscurioribus umbratilem subsecuturæ imaginis formam præmittunt, quæ superinductis deinceps nativis & vivis coloribus paulatim evanescunt, & imago succedit. Talem umbram legem ceremonialem cum suis sacrificiis habere docet, eiq; oppo-

poponit τὴν εἰκόνα, qvæ vox significat ipsam formam expressam rerum tali umbrâ repræsentatarum, illaq; non intelliguntur dona DEI spiritualia, & in Evangelio proposita, ut sunt: peccatorum remissio, gratia DEI, justitia, meriti CHRISTI efficacia, vel etiam bona vitæ æternæ, qvæ tam nobis adhuc, qvām ipsis, futura sunt, sed ipsa actualis Filii DEI in carne manifestatio, passio, atq; vox maestatio cruenta. In loco Col. II. 17. opponitur τὴν σκιὰν τὸ σῶμα, qvæ vox, qvia ipsum corpus significat, per σκιὰν non artificiale, sed naturalem umbram, qvalēm corpus soli oppositum de se spargit, indigitari reqvirit, huncq; fensum gignit: *Sicut umbra imperfectissima est similitudo corporis, à quo projectatur, ita lex per suas ceremonias admodum obscurè & imperfectè significat futura*, uti loquitur *Walther in Harm. Bibl. ad b. I. p. 1284.* Huc facit etiam appellatio *typi* imposta sacrificiis Ebr. IX. 23. *typus* enim strictè & propriissimè denotat rem aliquam in canonem V. T. eum in finem relatam, ut venturum Messiam repræsentaverit, illumq; ceu antitypum respexerit. Hinc qvoq; qvia sacrificia rationem umbræ ac typi sustinebant, non unā simplici actione absolvebantur, sed reqvirebatur plurimorum concursus, qvarum unaq; vœ peculiare qvid denotabat: qvædam adumbrabant tempus, qvædam locum, qvædam subjectum, qvædam objectum, qvædam modum, qvædam caussam finalē & effectum, aliæ alterius cuiusdam rei umbræ fierunt. Ita e. g. oblatione victimæ super certâ arâ consecratâ, repræsentabat CHRISTUM, qui in seipso per obedientiam suam perfectam sese Patri obtulit, ipseq; adeò unica nostra ara

dicendus cum Paulo *Ebr. XIII. 10.* Ita destractio per maestationem atq; ignitionem præfigurabat futuram mortis CHRISTI perpeccionem, & ignis iræ divinae sensum. Ita singulae circumstantiae circa sacrificia Levitica observatae singulare quid in sacrificio CHRISTI, ut antitypo, adumbrarunt, qvarum *D. Battus* sedecim annotat, cum applicatione simul ad veram victimam CHRISTUM *in disp. ad b. l. p. 42, tb. 19.*

## S. XIV.

*quām ex-  
piatione  
typicā.* In hāc adumbratione, & typicā sacrificii CHRISTI delineatione non consistebat unicē finis evangelicus, sed accedebat simul *expiatio peccatorum vera*, ita ut eorum hominum peccata, pro qvibus sacrificarunt sacerdotes, expiata, illiqve DEO reconciliati sint, ut indignari ipsis desierit, & propitius iisdem factus fuerit. Probatur hoc ex universā scholā sacrificiali, ex qvā hāc vice hāc inter alia desumimus testimonia. Ipse terminus expiationis ubiqve adhibetur, in primis *Lev. XVII. 11. anima carnis est in sanguine, ego autem dedi eum vobis super altare, ad expiandum animas vestras Conf. Cap. VI. 6. 7. 2. Sam. XXIV. 25.* aliaque loca tām in universum pro omnibus peccatis, qvām in specie pro uno altero peccato sacrificia præscribentia. *Apofolus Paulus Ebr. IX. 22.* remissionem peccatorum sanguini sacrificiali attribuit, inqviens: *Omnia penè sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Gratus iste odor, qvem sacrificia coram DEO spirarunt, ipso multoties confirmante *Lev. I. 13. 17. II. 2. 9. 12. &c.* nil aliud indicat, qvām DEUM peccatoribus propitium redditum fuisse. Ergo negari nequit

quit expiatio, qvicqvid etiam Socinus opponere atq; excipere conatur, qvorum resolutionem habebis apud *Quenstedium System. P. IV. Cap. I. Sect. II. qv. g. p. 59.* Qvò autem de ratione expiandi qvoque constet, notamus, expiationem hanc attendi posse ut *præfigurativam*, ratione futuræ acqvisitionis, & ut *exhibitivam*, ratione præsentis per fidem applicationis. Expiatio primò erat typica, dum futuram meriti CHRISTI acqvisitionem, propter qvod expiabant, præfigurabant, seu, *quatenus erant corpora quasi vicaria & representativa victimæ pro peccatis mundi in temporis plenitudine offrenda.* Köning. *Theol. Posit. pag. 224. §. 658.* Et sic erant quasi conciones reales, qvibus semper annexa fuit concio verbalis, & explicatio qvædam ex Protevangelio desumpta, qvod semen mulieris & Abrahæ benedictum opera diaboli, peccata, destrukturum sit, ut serpente calcaneum mordente, ipsi sit moriendum, ut id typicè in victimis fieri videbant. Ita typi isti verbo expresso hominibus declarati sunt, ut clare cognoverint, qvid sibi velint hæ ceremoniæ, & qvid præfigurarent. Et ob hanc præfigurationem sacrificia typicè peccata expiassæ dicuntur. Hæc autem totius expiationis formam non constituit, atq; exhaustit, sed ipse terminus expiationis & reconciliationis simul objectum, hominem scil. peccatorem respicit, cuius peccata dicuntur expiata, qui DEO dicitur reconciliatus, & ad hæc reqvirebatur *realis exhibitus*, & *presens per fidem applicatio*. Qvorumcunque enim peccata sacrificiis suis debebant expiari, illi verbum prædicatum verâ fide recipiebant, & beneficia venturi Mes-  
siæ

siæ sibi applicabant, & tum gratia DEI ipsis realiter per hæc sacrificia offerebatur, qvæ à futuro Redemptore erat promerenda ipsaqve remissio peccatorum verè conferebatur. Conf. Qvenstedii System. l. c. p. 56. Dannhaweri Hodos. pbænom. 10. lit. O. p. m. 1028. Flürbornii Anti-Ostior. disp. 33. §. 42.

## §. XV.

Hæc hæc tenus tradita evolutio Sacrificiorum Leviticorum luculenter nobis declarat modum occisionis agni nostri ab origine mundi. Sacrificiorum enim ordinatio ante actualem agni oblationem statim ab initio mundi usqve ad ipsam impletionem vigebant, & in ipsis agnum DEI in temporis plenitudine occidendum sanguinem fundere videbant, imò per illa fruebantur verè beneficiis futuræ mortis C H R I S T I : Quidni ergò per illa agnus hic posset dici occisus ? quidni mactatio per sacrificia esset referenda ad mactationem factam ab origine mundi ?

## §. XVI.

*4. Mactatio.* Ultimo loco jam consideranda est mactatio qvâ effitto qvâ efficiaciam & fructum in V. T., ceu ultimus modus mactationis agni ab origine mundi factæ. DEUS non tantum constituit nos redimere, sed & juxta beneplacitum voluntatis suæ certum tempus præfinivit ad opus Redemptionis perficiendum, ut ita ipsa actualis meriti acquisitio temporis determinationi quidem obnoxia fuerit, nec citius, qvâm DEUS præfiniverat, fieri potuerit : Minimè tamen etiam efficacia ac virtus tamdiu mansit suspensa, ac si à tempore dependerent, qvâ

quâ ratione periclitata fuisse salus omnium eorum, qui in V. T. ante exhibitum Messiam ex hâc vitâ mîgrarunt. Sed cœpit effectus mortis CHRISTI inde ab initio mundi, & extenditur usqve ad ejusdem consummationem. *Infinita bujus persona, & eterna Redemtionis effectus in angusti definitique temporis circulum includi non potuit*, verba sunt D. Batti in disp. ad h. l. cit. th. 21. p. 44. Indicarunt hoc Veteres illo disterio : Meritum CHRISTI valuit *antrorsum* usqve in finem seculi, & *retrorsum*, usqve ad Protoplastos, ita ut salvatis & salvandis nulla salus vel unquam obtigerit, vel in posterum obtingere queat, nisi per & propter agnum occisum. Alii his verbis eandem rem efferunt : *CHRISTUS profuit, anteqvam fuit*. Et quis negare hoc auderet, cum ipsam revelationem habeamus, quæ immota fundamenta nobis suppeditat ? Quid prima omnium data promissio de semine mulieris aliud continet, atq; proponit, quâ Messiae passionem & mortem, utpote quæ fundamentum ac nervus est, omnium per totam Scripturam S. concionum Evangelicarum ? Quid omnes ulterius revelatæ promissiones aliud sunt, quâ illustriores repetitiones atq; declarationes primæ concionis Paradisiacæ, qvibus magis magisq; persona, officium, passio, mors, aliaq; beneficia Redemptoris exponuntur ? Qvorum alias typi & sacrificia in Scripturis V. T. spectabant, quâ ut Salvatorem in paradiſo promissum delineent ? Qui ergo hominibus primis temporibus ignotus esse potuiffset servator toties promissus, tamq; clarè designatus atq; descriptus ? Qvod sufficientem notitiam habuerint,

erint, & Filium DEI tām qvoad essentiam, & personam, qvām qvoad duplēm statum, atq̄ officium triplex cognoverint, adeoqe crediderint in CHRISTUM, verum mundi Messiam, multis modis comprobavit D. Mich. Walther dīsp. de DE O abcondito ex Es. XLV. 15. à §. 3. usq̄e 22. Qvis autem fuit hujus cognitionis finis? Num forsan historica tantūm notitia? Vel ut aliquo modo scirent rationem salvandi in N. T., ceu diversam ab istâ, qvā fideles V. T. salvati fuerunt? Planè non: sed potius ut verā fiduciā in ipsius merito recumbere, ejusq̄ efficacia unice, uti nos, ad salutem æternam pervenire possent. Revera enim promissiones ipsis datae non tantūm præevangelizabant mortem, atq̄ meritum salvatoris futurum, & certo post tempore acqvirendum, sed & evangelizabant, & præsentem DEI gratiam exhibebant, morte quidem CHRISTI postea promerendam, ob intuitum verò ejusdem per æternū DEI Filium actu tuncipis credentibus conferendam. Qyod autem verā fiduciā meritum promissi Messiae sibi applicaverint, ejusque efficaciā salvati sint, historia V. T. sufficenter confirmat, longam exemplorum omnium temporum credentium seriēm recensendo. Statim enim post revelationem seminis Mulieris *Protoplasti* mortem antea ipsis denunciata ex solatio contra mortem dato obliviscuntur, se se mutuò erigunt, & non modò *Adam* conjugem vocat Matrem omnium viventium, sed & *Eva*, cum Cainum peperisset, præ gaudio exclamabat: *Possedi virum Dominum.* Qvæ verba primo Autore *Dott. Sebas. Schmidio*, qvem seqvuntur

D. Cato-

D. Calovius in disp. de fide Veterum §. 38. p. 53. & D. Pfeifferus in Dub. vex. ad loc. Gen. IV. 1. pag. 36. singularem  
 Evæ fidem ostendunt; quā semen promissum in corde  
 suo firmiter possidet, cuius fidei symbolum externum  
 nomine Cainis tradere vult. Conf. D. Fechti disp. ac  
*Historiā Caini & Abelis* §. 3. p. 9. &c. Abel meliorem ho-  
 stiam, quam Cain, DEO obrulit per fidem in CHRI-  
 STUM directam, quā unicē victimā DEO placent,  
 & peccata expiantur. Gen. IV. 4. Lamech nato Noacho  
 fiduciam in promissum Messiam his ad filium suum  
 verbis directis contestatur: *Iste consolabitur nos &c.* Pfeif-  
 feri Dub. vex. ad b. l. p. 54. Abram fiduciam suam col-  
 locavit in semine, in quo benedicenda erant, omnes  
 familiae terræ. Gal. III. 16. quem Paulus Rom. IV. 6.  
 ut exemplum omnium credentium proponit. Ex  
 hac fiduciâ tot Patrum V. T. suspiria nata, tot vati-  
 cinia de CHRISTO prolata sunt, ut Jacobi, Davidis,  
 omniumq; Prophetarum. Ut adeo neminem fermè  
 credentem in V. T. denominatum habeamus, de quo  
 non simul vestigium de fiduciâ ipsius in Messiam adest.  
 Omnes enumerare jam supersedeo, idq; eò magis,  
 quia Ebr. XI. multorum nominum cum insigni no-  
 tatione nominis fidei mentio fit. Agnoscamus ergo  
 fiduciam Patrum V. T. agnoscamus meritum CHRISTI  
 ibidem profuisse, quo fideles unicē nitebantur, ejusq;  
 efficaciam impetrabant gratiam DEI, remissionem pec-  
 catorum, justitiam, ac vitam æternam. Idem omni-  
 nō Messias, eadem fides in V. & N. T. semper, &  
 omnibus temporum differentiis fuit. Qvod si quis  
 alia testimonia quereret, illum ad Concilium Aposto-  
 licum

licum Hierosolymitanum remittimus, ubi Apostolorum cœtus hanc decisionem edidit: *Per gratiam Domini JESU CHRISTI credimus salvati, quemadmodum & illi, scil. Patres.* *Acto. XV. 11.* Arguo: Qvo pacto nos credimus salvati, eo pacto & Patres V. T. salvati sunt. Atqvi per gratiam JESU CHRISTI &c. Ergò per gratiam JESU CHRISTI & Patres V. T. salvati sunt. Utraq̄ præmissarum latet in textu. Apostolus enim comparationem instituit inter modum salvandi præsentem, & præteritum, qvi temporibus V. T. obtinuit, & nullam diversitatem, sed omnimodam similitudinem monstrat, tam ratione *modi*, ex parte nostrâ, qvod est fides gratiam CHRISTI sibi applicans, quam ratione *modi*, qvi ubique hic est: *per gratiam JESU CHRISTI*, quam gratiâ intelligitur benevolus Salvatoris affectus, illiusque affectus effectus, gratiosum scil. & gratuitum ejus meritum, per qvod salus acquisita est. Conf. circa hoc dictum. *Calovii disq. de eodem in V. ac N. T. salvandi modo*. It. *Jo. Meijeri disq. de divina voluntatis salvatricis simplicitate & unitate* V. pariter ac N. T. communis. Idem id confirmare intendit Petrus universali hac, in concione ad Cornelium habitâ, propositione affirmativâ: *Huc omnes Prophetæ testimonium peribent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnem credentem in eum* Act. X. 43. Vim argumenti his colligo terminis: Si omnes Prophetæ de CHRISTO testantur, omnem credentem in eum accipere remissionem peccatorum per nomen ejus, utique etiam si deles V. T. efficaciâ meriti CHRISTI salvati sunt. Atqvi verum est prius. Ergò & posterius. *Connexionis*

xionis hujus veritas nititur (1) *testimonio Prophetarum*, qvorum non unus, alterve, sed totus chorus per totam V. T. Scripturam producitur hic ut testis, non tam futura vaticinans, qvam præsentia deprædicans, non tam accepturos & credituros, qvam accipientes, & credentes respiciens. (2) *Causâ meritorâ*, qvæ est nomen JESU i. e. ejus meritum, ceu fundamen-tum universale. (3) *effectu*, remissio peccatorum, dependens à nullo alio, qvam merito CHRISTI. (4) medio instrumentali, fides, non qvævis, sed qvæ in CHRISTUM fertur, ejusqve merito fundatur. Ab Apostolo Paulo eadem res emphaticis verbis describitur, & planè deciditur, inquit: *JESUS CHRISTUS bene & hodie, idem est, etiam in secula Ebr. XIII. 8.* Cardo hujus dicti est, qvod JESUS CHRISTUS sit unicus ac perpetuus Salvator, ita ut sine illo, vel extra illum ante Salvator aliis non fuerit, nec ipse fuerit alias unqvam, qvam Salvator ab æterno in æternum. Adeoque meritum ejus non demum cœpit in N. T., sed ita ad anteriora etiam tempora se exten-dit, ut per illud, & respectu intuitu ejusdem omnes inde ab Adamo salvati sint, qvicunq; salvati fuerunt. Olim illud fuit, & nunc est, & semper futurum est in CHRISTI ecclesia. Huc etiam pertinet locus *Act. IV. 12.* *Non est in alio qvodam salutis, nec enim aliud nomen sub celo datum est hominibus, in quo opereat salvacionis.* Hic omnes alias salutis vias trinâ negationis repetitione eo fortius Petrus excludit, & unicum illum per meritum CHRISTI salvandi modum, qui apud omnes homines, omnibus temporibus valet, relinquit. *Conf.*

circa hanc materiam Qvenstedius System. P. I. Cap. II. Sect. II. qv. 1. p. 22. P. IK. Cap. II. Sect. II. qv. 1. p. 6t. Petri. Hauberkorn de unâ fidelium V. & N. T. salutis. Tom. I. disp. Gieff. disp. XXII. B. D. Mart. Chemnitius in LL. Ib. Tom. II. Loco de justific. num. V. p. m. 577. edit. in 8. usq; non s. XVII.

Videmus itaque & certe persuasi sumus, meritum CHRISTI per cuncta secula à principio ad finem usq; mundi, & ultra in sempiternum se extendere. Quocunq; nos medio salvamur, eodem & fideles sub V. T. salvati sunt, & eundem sanguinem, quem nos substantiam habemus, virtute & operatione habebant illi, ut recte credamus atque ponamus, omnes sub V. T. credentes efficaciam mortis CHRISTI futuræ esse DEO reconciliatos. Et secundum hunc modum pulchre etiam dicitur, agnus ab origine mundi occisus est. Egregie Baltb. Menzerus: Ita CHRISTUM evangelio promisum, per veram fidem pii Patres intuiti sunt, & apprehenderunt, ut vere affirmari posset, in iþorum eiusam animis verâ fide imbuis CHRISTUM fuisse occisum, quoties nimisrum divinas de iþus passione, & morte promissiones piè repeterent, & ejusdem iþos & figuræ in sacrificiis observarent. Vid. Tom. III. Gies. Disp. IX. p. 309. §. 39.

### SECTIO III.

#### DE SATISFACTORIA AGNI OCCISIONE.

##### S. I.

Ergo revera agnus ab origine mundi occisus est. Novimus jam agnum, constat mactatio, scimus

quando

qvando hæc facta sit, & intelligimus hujus rei modum. Hoc ipso autem hæc inexhausti mysterii verba planè nondum exhaustivimus, sed &, qvod maximâ consolatione plenum est, omniscq; ratio formalis, & caussa finalis, ob qvam tota hæc mactatio decreta, promissa, adumbrata, & actualiter præstita est, adhuc restat. Qvod si enim qvaratur, cur, & qvem in finem CHRISTUS ut agnus voluerit mactari? respondendum utiq; est: Satisfactorie & ad expiandos homines peccatores. Itaq; paucissimiis his verbis continetur simul tota doctrina de satisfactiōne CHRISTI vicariā, qvam intactam relinqvere nobis integrum non est, unde peculiarem huic materiæ sectionem assignamus, in qvā unicè operam sumus daturi, demonstrare, OCCISIONEM AGNI FUISSE SATISFACTORIAM. In præcedentibus eqvidem sectionibus səpissimè mentio mactationis hujus fit, consideraturq; ut *αὐτοῖς οὐαὶ* cum respectu ad satisfactiōnem, sed simpliciter dicta hæc sunt, nullâ allatâ vel explicatione, vel comprobatione, ideoq; hæc adhuc reqviruntur.

## §. II.

Thesis hujus membra hæc est: *Occiso agni nostri Satisfactoria est*, ad qvam adstruendam desumim⁹ <sup>onem pro-</sup> *SATISFACTORIA* est, ad qvam adstruendam desumim⁹ <sup>bat (1) no-</sup> *fundamentum tam ex denominatione agni*, qvam <sup>men agnō</sup> voculā *occisi*. Qvod CHRISTUS hīc & alibi appellatur *agnus*, eo ipso respicitur in primis satisfactio per agnos sacrificiales adumbrata, & typicè collata, præstita per CHRISTUM. Per nomen agni totum sacerdotale CHRISTI officium designatur, & sacrificium

pro expiatione mundi in Patrum V. T. sacrificiis pro peccatis oblatis adumbratum denotatur. Hæc ex rationibus nonnullis fient clariora & certiora. Primo probatur hoc à *convenientiâ typi cum antitypo*, in præcipuis maximè. Qvod appellatio agni fundata sit in agnis typicis, & abs illis desumta, nemo amplius negabit, vi §. 7. 8. 9. *Sect. I.* Jam autem agni V. T. pro peccatis non tantum singulorum, sed & universi populi offerebantur, & immolabantur, qvâ ipsâ oblatione satisfactionem CHRISTI, ceu primarium Evangelii beneficium adumbrabant, non autem vel innocentiam, vel puritatem, vel mansuetudinem, vel aliud quid, qvod rationem virtutis moralis habet, ad qvæ adumbranda non tam singulari modo debuissent offerri; Sed ratio agnorum typicorum in typicâ satisfactionis CHRISTI præfiguratione potissimum constituit, qvod confirmant omnes fermè ceremoniæ circa illos suscepitæ, in primis maestationem antecedens manuum impositio super pecus sacrificandum, qvæ non tam separacionis, & ad usum sacrum translationis caussa, quam ideò fiebat, ut publicè illi protestarentur, in animal istud translationem culpæ in homine harentis factam, & animal vitam suam pro homine mortis reo impensurum, *Lev. 1. 3. 4.* Conf. qvæ de expiatione dicta sunt, *Sect. II. §. 14.* Hinc cum Dorschœu ita concludimus: *Quæ anima ex institutione divinâ in se accipit peccata alterius animæ, & ita datur super altare ad expiandum alterius animam, illa offertur vice & loco alterius, illa expiat alteram animam. Animalis sacrificiali vero anima ordinationis divina vi accipit peccata hominis animæ, & ita ad expiandum animam hominis datur.*

datur. Ergo. Vid. Pentad. Disp. XI. §. 31. pag. 372. Et ratione hujus satisfactionis antitypus typo debet respondere, ita, ut, qvia agni typici satisfactionem præfigurarunt, CHRISTUS eam ob caussam vocetur agnus, qvia propriam satisfactionem praestitit. D. Battig ita argumentatur : *In quo maximè agnorum typicorum ratio consistit, in eo antitypum imprimis respxerunt. At in puncto satisfactionis & expiationis typica agnorum ratio maximè consistit.* E. vid. ejus disp. ex b. l. pag. 14. tb. 6. Notamus circa hæc præcipue Socinum, infensissimum satisfactionis CHRISTI hostem, negantem & pernegantem, unqvam in V. T. agnos fuisse oblatos pro peccato, contra apertam Scripturæ litteram, adductam §. 1. Sect. I. Sed cum mendacia sua Diabolica demonstrare vult mens impura Socini, manifestam veritatem divinam, qvam contorqvere non valet, impudenter negare audet. Idem etiam negat, agnos in V. T. oblatos satisfactionem CHRISTI non præfigurasse, afferitqve nomen agni CHRISTO convenire tantum puritatis, innocentiae, & mansuetudinis intuitu, non autem satisfactionis indicandæ caussâ. Aliud hactenus ex Scripturâ docuimus. *Dorscb. Pent. disp. XI.*

## S. III.

Secundò qvædam adducemus loca, in qvibus CHRISTUS Agnus appellatur sub ratione expiationis, sive in qvibus hæc denominandi ratio defumitur à satisfactione, ita ut propter hanc ita vocetur. Audiamus Johannem JESU ad se baptisantem veniente indice digito exclamantem : *Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi.* Job. 1. 29. In hâc epitome describit JESUM ut

ut *Agnus*, sumtâ appellatione ab Agnis typicis V. T. qvibus præfiguratus & oppositus est : non enim sine emphasi utitur Johannes articulo, διευρετός, qvo ipso indicare vult, hunc esse Agnum typicis illis contradistinctum, jam dudum prædictum, adeoq; præstantissimum atque excellentissimum. Describit JESUM ut *Agnum DEI*, ratione divinæ præordinationis, qvia non ab hominibus, sed DEO ipso victima hæc erat destinata. Quidam Philologi Ebraïsmos in N. T. admittentes, per nomen DEI h. l. superlativum notari concedunt, sicuti cedrus DEI idem fit, qvod altissima, Agnus DEI idem qvod Agnus præstantissimus. Describit eum ut *Agnum* non tantum macatum, aut patiens, sed & peccata mundi tollentem, voce ἀγέων ἀγέων significat totius mundi peccata in se recipere, portare, & penas illis debitas æqvivalenter tolerando satisfacere justitiae divinæ. Hæc est nativa phraseos hujus significatio, qvam agnoscimus & defendimus contra Socinum, qvi τὸ tollere explicat de simplici tantum ablatione, aut qvod modum abolendi ostendat, non autem de portatione & per debitam satisfactionem factâ expiatione intelligit. Dicit adeo, ἀγέν esse h. l. auferre, & denotare CHRISTUM auferentem, non autem portantem mundi peccata. Enimvero hoc nihil aliud est, qvam à vero & communi usu vocis hujus malitiosè & nefario ausu recedere, qvi alias paucis locis exceptis, freqvens, & quasi perpetuus est. Hoc ex inspectione omnium, qvorum innumera fermè extant, exemplorum N. T. facile apparebit, in qvibus significatum portandi propriè obtinet. Portare

tare autem notat oneris ab alio translationem, in se susceptionem, & onerosam portationem. Conf. loca *Mattb. IV. 6. 16. XI. 29. XXVII. 37. Luc. IV. 11.* Neque in aliis tantum rebus adhibetur, sed cum ipso etiam peccato componitur i. *Joh. III. 5.* dicente Apostolo: Sciat, qvod ille apparuit, *ιν τας ιαπαγιας ημων αιγη*, ubi per portationem notatur pœnæ luitio. Apostolus *Petrus* eodem loquendi modo usus est verbo *ἀνεβάντες*, inquit: *Peccata nostra tulit in corpore suo super lignum I. Epist. II. 24.* Hæc ultima verba rectè declarant modum portandi, & necessario pœnarum perpessionem includunt, qvicqvid etiam cohors Sociniana contraniti velit. Peccata namqz ferre in corpore suo in ligno crucis, omnino est pœnas eorum in corpore ferre. Portavit itaqz CHRISTUS peccata nostra tum ratione culpæ, qzam in se suscepit, tum ratione pœnæ, qzam pro nobis & nostri loco tulit. Sine dubio respexerunt Sancti hi Viri concionem Prophetæ Esaiæ de passione JESU CHRISTI *Cap. LIII. 4.* & locutionem hanc inde desumserunt. Propheta enim, dum inquit: *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, duplice verbo utitur, qzvibus portandi ratio exprimitur, scil. *אָשׁוּב* & *לְבָדֵךְ*. *אָשׁוּב* varium sustinet significatum, nec tantum portare, sed interdum etiam auferre denotat absqzue oneris susceptione. Vid. *Num. XIV. 18.* ubi Jehovah dicitur *אָשׁוּב* auferens iniqvitatem. Propriè tamen onus in humeros tollere, & portare, asportare, reportare, allevare, &c. significat. Præcipue qzvando de peccato dicitur, semper pœnæ peccatis debite perlationem & passionem designat. Vid. *Exod. XIX. 4. XXVIII. 29. 38. 42. Lev. V. 1.* Hic hujus vocis sensus

sus corroboratur voce statim subsequenti. **לְכֹס** qvæ radix perpetuò notat portare, bajulare super humeris, onus suscepsum gestare, nec ullum in contrarium potest afferri exemplum, ubi verbum hoc inferret simplicem ablationis actum, nec potius ponderis susceptionem, & gestationem onerosam. Eodem significatu ambæ radices conjunguntur. *Ef. XLVI. 1. 2. 3. 4. 7.* Quidam hoc discrimen annotant inter duo hæc verba, quod **לְכֹס** significet actum tollendi, **לְכֹס** autem gestationem ipsam. CHRISTUS itaq; peccata nostra ita tulit portavitq; ut pœnas eorum non simpliciter abstulerit, sed ita, ut peccata humeris suis portarit pœnasqve in se suscepere. Per langvores enim non incommodè peccata, omnium langvorum & dolorum caußæ, intelligenda sunt, non ob suam, sed ob alienam culpam ipsi imputata, quem sensum animadverterunt LXX, unde hoc modo verterunt: Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Tota autem loqvendi ratio desumta esse videtur ex *Lev. XVI. 8.* de hirco emissario. Cum enim Summus Sacerdos Aaron pro peccatis populi Israélitici sacrificia obtulisset, eosqve sangvine vituli & hirci aspersisset, tum vivum hircum ante tabernaculum aducebat, peccatorumq; super ipsum factâ impositione in desertum emittebat. His procul dubio ceremoniis locutio hæc semper attemperatur à Spiritu S. quando portationis peccatorum mentionem facit. Egregium autem prædicatum est, dum Agno huic tribuitur, & rationem denominationis, qvare vocatur Agnus, luculenter demonstrat. Qvicunq; enim dicitur Agnus portans peccata, ita, ut culpam expiat, pœnamq; eorum luat,

Iuat, ille dicitur Agnus propter satisfactionem. Atqvi CHRISTUS hoc loco Joh. I. & aliis dicitur agnus portans, &c. Ergo.

## S. IV.

Sic Apostolus Petrus I. Ep. I. 18. 19. 20. CHRISTUM appellat Agnum, & qvidem immaculatum & incontaminatum, præcognitum ante constitutionem mundi, manifestatum autem in novissimis temporibus. Talia huic agno tribuuntur, qvæ aperta satisfactionis indicia sunt, sicut rationem denominationis suppeditant. Tribuitur namque Agno λύτρωσις à vanâ conversatione, diciturque non vulgarem eam fuisse, dum aurum atque argentum, communissimum solutionis pretium, removetur, sed pretiosissimam, factam sangvine CHRISTI pretioso. Sangvini agni itaque, qvod hîc in oppositione & collatione cum pretio auri & argenti exaggeratur, disertè assignatur πύργον, qvod est pretium propriè sic dictum, solutum ab Agno vicariè sangvinem fundente pro debito judicario, h. e. morte ab alio promeritâ. Ergò sangvis CHRISTI est pretium illud, qvo interveniente propria liberatio contingit, non aliter, ac si captivus auro atque argento è captivitate redimeretur.. Vides ergò iterum rationem Agni à satisfactione de promtam. Qvicunque enim agnus denominatur ab actu lytroseos proprio sangvine factæ, is dicitur ita respectu satisfactionis. Atqvi CHRISTUS Agnus denominatur, &c. Ergò. Ita enim hæ voces adornatae & adhibitæ sunt, ut una alteram respiciat, & una in alterâ fundamentum habeat, omnia autem fundantur in nomine Agni. Apostolus namque CHRISTUM vocat (1) agnum. (2) Agnum

sangvinem habentem & effundentem. (3) Agnum sanguine redimentem. Qvod sangvis hic victimalis sit, & redimat, habet ab Agno, qvia Agni sangvis est. Quid igitur moramur dicere, in nomine Agni totam latèrē satisfactionem? anoflogA side

## §. V.

Idem colligimus ex verbis D. Apostoli *Pauli*, qvi itidem Agnum hunc nobis proponit sub ratione expiationis, dicentis : *Agnus noster paschalis loco nostri sacrificatus est CHRISTUS. 1. Cor. V. 7.* Ex qvo loco ita infero : Quicunque CHRISTUM dicit Agnum sacrificatum loco nostri, ille rationem nominis illius desumit à satisfactione. Atqvi Paulus CHRISTUM &c. Ergò. Propriè qvidem, uti constat, agni paschales sacrificia non erant, pulcherrimè tamen typum CHRISTI gesserunt, tam in illo, qvod à communi grege ad mandationem sacramentalē fuerit segregatus, & certo ritu præparatus, qvām maximē in eo, qvod in ædibus loco qvā hominum cædem alias in illis passurorum sit interfectus, cuius sangvis in postibus ædium nota & character erat Angelo percussori non cædendarum ædium. Hac ipsā substitutione egregiè fuit typus JESU CHRISTI loco nostri interfecti. Ex tam variis prædictis CHRISTO ut Agno convenientibus, & satisfactionem involventibus elucescit, appellationem agni ad demonstrandam & comprobandam *satisfactionem* CHRISTI mactationem multum conferre.

## §. VI.

*2. Vox occisus,* Alterum fundamentum petitur à voce *occisus*, qvæ eā intentione hīc adhibetur à Spiritu S. ut totum

fatis-

satisfactionis opus in se contineat, proponat atqe stabi-  
litas. Maestatio hæc non ut nuda affectio humanitatis  
aut præcisè accipienda hic est, sed cum fine salutari si-  
mul, & complexe, quatenus est *ἀπόλετου*, & actus  
satisfactorius ac meritorius. Filius enim DEI, qui ma-  
status est, non aliam ob caussam probra, flagella, tor-  
menta & mortem in cruce ignominiosissimam pertulit,  
non aliam ab caussam sanguinem pretiosum in circum-  
cifione, flagellatione, lateris apertione & per sudorem  
sanguineum effudit, non aliam ob caussam ita maestari  
voluit, quam ut passione & morte illâ cruentâ iustitiae  
divinæ solveret λύτρον pro nobis, ipsiqe satisfactionem  
perfectissimam præstaret. Ipsa satisfactione est totum ali-  
quod aggregativum, ex pluribus actibus constans, qui  
distincti quidem numero sunt, sed conjuncti unam per-  
fectam satisfactionem efficiunt. Ad hos actus pertinet  
totus exinanitionis status, actus enim exaltationis  
meritorii quidem sunt, & pro nobis præstiti censendi  
non autem satisfactorii. Et his actibus maestatio quoqe  
accensanda est, per quam propriè indicatur passio cru-  
enta circa finem vitæ CHRISTO contingens cum ple-  
nariâ sanguinis effusione, morteque actuali subseqvutâ,  
ita tamen, ut præcedentes non excludantur afflictiones  
& sanguis in circumcisione effusus CHRISTI enim,  
utpote qui missus est ad maestandum, primum con-  
ceptionis momentum erat maestationis initium, quæ  
per totam vitam durabat, & in morte finiebatur,  
quæ erat ultimus & superemus maestationis gradus.  
Quemadmodum itaqe omnes reliqui actus satisfactorii  
sunt, ita omni etiam jure actus maestationis, in passione

& morte potissimum conspicuus. In typis V. T. habebatur respectus satisfactionis, quidni ergo in antitypo? Agni enim qui ad Sacerdotes adducebantur, manuum impositione peccata eorum, pro quibus offerabantur, portabant, & pro homine offerente mortem promerito mactabantur. Quantum itaque valuit typus vi antitypi, tantum ipsum antitypum valere necesse est, qui verus ille agnus Dei, cui peccata omnium nostrum imposita sunt, ad quae expianda mactatur, mortemque in nostrum reatum succedaneam, & satisfactoriam praestitit, absque quam nulla peccata abalentur.

## §. VII.

*Satisfacti-* Nulla amplius de satisfactione præstata per occisi-  
*onis caus-* onem remanere poterit dubitatio, si tam *auctam mat-*  
*sa materi-* *rialem quam rationem formalem*, & finem satisfactionis hac  
*alia.* ipsa mactatione contineri & asseri demonstrabitur.  
 Nomine *causse materialis* veniunt omnes mortem antecedentes dolores ineffabiles, & cruciatus acerbissimi, ut & mors ipsa. Illi pertinent tam ad animam, & sunt interni, quam ad corpus, & vocantur externi. Interni, sive anxietates animæ cœperunt in primis in horto ad radices montis oliveti sito, in quo Redemptor mactandus cœpit *luctuoso* contristari, dolore & molestia affici, *in fauco* expavescere, animo & corpore perhorrescere; *ad suos* vehementer angi, immo præ horrore animi concidere, quibus verbis ad exprimendos dolores CHRISTI Evangelistæ ita utuntur, ut semper duo conjungant, dum *Matth. xvi. 37.* primum & ultimum, *Mate. xiv. 33.* alterum & ultimum simul adhibetur, quam combinatione non tantum unum alterius

signi-

significatum augere, sed etiam acerbitatem dolorum  
animæ eò fortius exaggerare voluerunt. Et verè in-  
gentes debuit sentire angores, cum iste Martyrum o-  
mnium maximus propriam hanc edidit confessionem:  
Undiq; tristis est anima mea usq; ad mortem, *Mattb.*  
*XXVI. 38.* Quid mirum? Sentiebat enim jamjam iram  
DEI adversus peccata humani generis, qvæ expianda  
in se susceperebat; invadebat ipsum Diabolus tentatio-  
nibus variis: à DEO sese desertum videbat, hinc tanta  
animi angustia ipsum oppressit, ut præ anxietate animi  
penè moreretur. Magnitudo dolorum Salvatoris nostri  
sufficienter utiq; constabit, si infernales planè dolores  
ipsum perpeccum fuisse dicimus & comprobamus. Non  
enim ex horrore tantum mortis corporalis, convitiis,  
falsis accusationibus, delusionibus, aut aliunde conci-  
tati sunt dolores, sed ex sensu mortis spiritualis, & dolo-  
rum infernalium, qvos revera sustinuit in horto, & in  
summo gradu, cum haec exclamaret verba: *DEUS meus,*  
*DEUS meus, qvare me dereliquisti?* *Matth. XXVI. 46.* Hæc  
derelictio notat ex phrasí Scripturæ divinam contra  
peccata iram, & peccatorum pœnas ab irato DEO pro-  
venientes. Ita ergo CHRISTUS in personâ nostrâ  
consideratus, peccatorum gravitatem revera sensit,  
iram DEI qvoq;, & alias peccatis promeritas pœnas  
omnes sustinuit. Et hæ sunt ipsi dolores infernales,  
qvippe qvi præcipue in omni sensu iræ divinæ & gratiæ  
eiusdem denegatione consistunt, qvi semper qvidem,  
qvando intuitus est nostra peccata, & iram DEI erga  
illa sensit, & tristitia affectus est, attamen sub mortis  
tempus maximum eorum fervorem sustinere voluit,

cum

cum vel tunc maximè terror iræ divinæ propter peccata nostra ipsum invaderet, adeò ut cum sensu iræ divinæ & morte infernali ipsi luctandum esset: ita tamen, ut & iram, & irati DEI pœnas omnes suā cum fiduciā superaverit, nec ob sanctitatēm & innocentiam propriæ naturæ ad desperationem, qvæ in hominibus & dæmonibus spe veniaæ deficiente, oritur, adigi passus sit. Verè ergo gravissimos dolores sanctissima CHRISTI anima sustinuit. Neqve tantum anima internos cruciatus passa est, sed etiam corpus externos, utpote flagellationem, coronationem, totamq; passionem ab Evangelistis descriptam. Qvodlibet corporis membrum, qvælibet pars peculiari doloris genere excruciat, si verticem, faciem, oculos, malas, aures, lingvam, manus, humeros, dorsum, latus, pedes, totumq; adeò corpus miserabilem in modum laceratum intueri modo velis. Imò tam multis, tamq; magnis oneratur JESUS, ut vitam denique cum morte commutaverit, & verè mortuus sit. Mori CHRISTUS necessariò debuit, qvia cum omnia nostra peccata per imputationem portat, omnes peccatis debitas pœnas sustinere etiam debuit, alioquin plenè pro peccatis non fuisset satisfactum. Jam verò inter pœnas, qvas à peccatore exigit DEI justitia, mors principem tenet locum, vi effati divini: *morte morieris Gen. II. 17.* Unde etiam ab Apostolo ut pœna describitur, qvando vel *appendix peccati* illam vocat, *Rom. VI. 23.* vel peccatum hujus caulfam facit, *Rom. V. 12. 17.* Ergo mors satisfactori nostro inter alias pœnas omnino etiam sustinenda fuit.

## §. VIII.

Hi haec tenus commemorati dolores vulgo referuntur ad obedientiam CHRISTI passivam quae accuratius dicitur paenarum perpetuatio. In tantâ autem latitudine à nobis hic attenditur, ut simul obedientia CHRISTI activa in perfectâ legis impletione consistens includatur. Non enim duplex illaque distincta obedientia facienda, cum passio propriè & per se non sit obedientia, sed quia CHRISTUS eam voluntarie & indebitè suscepit, revera actio est, undè à Bernardo rectè vocatur actio passiva, & passio activa, & ex actione & passione tali modo juncta una perfecta profluit obedientia, satisfactionem promerens. Obedientiam illam legalem CHRISTUS in totâ vitâ, in passione, & morte implevit, non tantum agendo, sed & patiendo, nec passio sine obedientia paenalis opponenda vel separanda ab obedientia legali activâ, cum hæc in ipsâ passione vel maximè illuxerit; passio etiam neque DEO grata, neque satisfactoria esse possit, nisi obedientia complementum addat.

## §. IX.

*Forma* consistit, secundum D. Königium in Theol. posse Causa for-  
mæ. p. 152. §. 229. in totius debiti alieni à Mediatore liberè suscepiti, ipsique in judicio divino imputati solutione consummatissimâ. Illud enim debitum, quod nos debebamus, & CHRISTUS liberè in se suscepit, exactè & sufficienter in tempore pro nobis solvit. Solvit illud, dum legem divinam tam agendo, quam patiendo, non in unâ tantum & alterâ parte, sed secundum omnes ejus partes perfectissimè implevit. Hoc ipsum constatur.

testatur ipse Psalm. LXIX. 5. *Quæ non rapui, solvi.* Per rapinam describere voluit peccatum Adamiticum, & exin reatum ab omnibus hominibus contractum. Est ergo rapina hæc non à restituente, sed ab aliis perpetrata. Hujus restitutio & solutio fit ab ipso Salvatore, quā apud D E U M vindicem alienam hanc rapinam compensat & expiat, tunc præsertim, quando ab hominibus afflictus, à D E O derelictum se clamat, & omnis generis passiones sentit. Sicq; solvere nihil aliud est, quam satisfacere, quo sensu etiam adhibetur Num. V. 7. Sufficientiam & perfectionem solutionis Apostolus suo etiam confirmat suffragio, inquit: *Huc unam pro peccatis offerens victimam, in sempiternum sedet ad dextram DEI.* Item: *unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ebr. X. 12. 14. VII. 26. 27. Justitia divina ut imperfectum non admittit, ipsique, nisi infinitè perfecto pretio ipsa exsatietur, satisfieri nequit: ita quoque Redemptor noster imperfectam solutionem non præstat, sed quia *gratias* est, ejus passio & mors tanti valoris extiterunt, ut satisfactionis pretium perfectè constituere possint, quā *ισόρροπον λύτρον* pro aliis Judici exposuit, ut justitia ejus in isto possit acqviescere nec vel minimum supersit, quod justè adhuc poscere queat. Hæc urget Apostolus, dum in oblatione unitatem, & in unitate perfectionem ponit. Oblatio, dum unica est, quia semel peracta in cruce, nec repetitionem admittit, perfecta simul est, ita ut ei nihil deesse posset. Quod enim in Leviticis oblationibus annuâ repetitione opus esset, quæ Sacerdotum successionem requirebat, inde imperfectio earum conspicua fit. E contrario enim

enim qvia hic unicus est Sacerdos, nullos secundarios admittens, unâ oblatione perpetuâ sanctificationem offerens, ejus oblatio exactâ perfectione gaudere debet. De his vide plura in System.

## §. X.

*Causa finalis*, qvam non copiosè deducam, sed in compendio tantum apponam, duplex communiter esse docetur, alia ex parte DEI, alia ex parte nostri. Ex parte DEI demonstratio tam justitiae ipsius, peccata nostra sine satisfactione remittere non valentis, qvâ misericordiae, à qvâ promanavit, qvod Filium in mortem tradiderit, & satisfactionem ejus vice nostri acceptaverit. Ex parte nostri est (1) liberatio ab irâ DEI, qvæ sedata, & à nobis aversa est Rom. V. 8. 9. Hic finis alias proponitur per reconciliationem, qvæ, cum pristinæ amicitiae restitutionem inter DEUM & homines commendat, simul iram DEI non amplius super nos manere docet. Col. I. 20. Hinc CHRISTUS vocatur pax nostra, Eph. II. 14. & ἡλασθείσιν. Rom. III. 25. (2) ab execratione legis obligantis ad obedientiam, & deficiente hâc etiam ad poenam, à sententiâ DEI Judicis cum maledictione damnantis, dependentem, & transgressoribus legis statutam. Gal. III. 13. (3) à potestate & tyrannide Diaboli. Hæc promissa est in Protevangelio Paradisiaco in contritione capitis serpentini, Gen. III. 15. cuius loci paraphrasis habetur Ebr. II. 14. 15. (4) perfecta justitia acquisitione. 2. Cor. V. 21. (5) eterna redemptio, Ebr. IX. 12. (6) Salutis & vite eterna acquisitione. Ebr. V. 8. 9. Job. III. 14. 15.

*Causa fi-  
nalis.*

## §. XI.

Causæ jam memoratae veram satisfactionem con-

K 2

stituunt,

stituunt, ita ut, ubi illæ habentur, vera satisfactio locum habeat. Eâ autem intentione hîc aliquantulum explicatæ sunt, qvò patescat, omnes illas in occidente Agni nostri inveniri, eandemq; satisfactoriam esse efficiant. Describitur, voce hâc metaphoricâ à pecoribus, qvæ propriè maestantur, desumptâ, tota passio & mors **CHRISTI**, eamq; ut violentam pariter & cruentam depingit, qvod patet ex *Set. I. f. 10.* Num autem ejusmodi occisio sine exquisitissimis tam corporis, qvam animæ doloribus, & infernalibus cruciatibus in Salvatore concipi commode possit? Encaussum materialem! Nonne hâc maestatione nostram rapinam luit? Nonne unicam eamq; perfectam pro peccatis victimam in ipsâ maestatione DEO obtulit? Enrationem formalem! Hâc solâ multiplex finis antea recensitus in nos redundant. Probant hoc omnia illa dicta, qvæ salutem nostram passioni & morti **CHRISTI** adscribunt, ab eâq; dependere docent. Pulchre hoc præstítit *Elias* in palmario illo loco *Cop. LIII. 4. 5. 6. Ebr. II. 14.* dicitur **CHRISTUS** per mortem destruere cum, qvi mortuus babebat imperium, i. e. diabolum. Hinc sanguis **CHRISTI** (in passione effusus) purgare dicitur conuentiam nostram à mortuis operibus. *Ebr. IX. 14. Conf. Rom. III. 25. Epb. II. 16. Rom. V. 10.* Probant hoc omnia illa dicta, in qvibus **CHRISTUS** pro nobis passus & mortuus esse dicitur, ut *I. Petr. I. 21. Siquidem in hoc vocati esus, quoniam & CHRISTUS passus est pro nobis. Conf. Rom. V. 1. Matth. XX. 28. I. Tim. II. 6.* particulæ illæ *avī* & *vīwī* notant surrogationem vice & loco alterius. Argumentamur proinde ex his locis pro occione

sione satisfactoriâ : Qvicunqve pro aliquo ita moritur, ut morte illâ alterius peccata expiet, ipsumqve à morte liberet, illius mactatio satisfactoria est. Atqvi Agnus DEI CHRISTUS pro nobis &c. Ergò. Minor ex locis adductis constat. Major etiam exinde patefit, qvia in satisfactione criminali vicariâ tria reqviriuntur, (1) *surrogatio*, qvâ alter in debitoris locum substituitur. (2) *Culpa translatio*, sive criminis alieni imputatio. (3) *Panarum luitio*, qvas hic persolvit istius loco. Et hæc tria requisita ex dictis facile colliguntur.

## S. XII.

Hactenus, qvæ explicationi & sufficienti corroborationi theseos nostræ inservire potuerunt, allata, & è textu nostro præsenti maximè desumpta sunt. Qvod si etiam peregrina, & aliunde petita argumenta, qibus fundamentalis noster Articulus de Satisfactione CHRISTI in Sacris litteris alias nititur, hîc adhibere vellem, ingenti Oceano me committerem. Multum qvoq; ad illustrandum & eò magis fundandum hunc articulum conferret, si Adversariorum de Satisfactione CHRISTI opiniones in contrarium abeentes nota-rentur, inter qvos eminent SOCINIANI, qui propter execrabilis contra Satisfactionem CHRISTI odium, hostes ejus *κατιζεχον* dici merentur. Enim verò si hanc etiam palæstram ingredi vellem, tantos suscipere labores, qvos hâc vice exantlare non valeo. Eorum namqve objectiones, cum exceptionibus non tantum ponderosæ, sed & innumeræ sunt, & qvi unam tangit, in totam colluviem incidit. Qvia itaqve tempore jam excludor, & pagellæ præter spem excreverunt,

runt, novos, eosque copiosos labores non fuscipiam,  
sed desinam, idq; tanto magis, qvia Theologi nostri  
Articulum de Satisfactione CHRISTI ubi vis magnâ  
curâ pertractarunt, & à corruptelis Socinianorum  
masculè vindicarunt, ad qvos B. L. remitto. Qvod  
si qvis palmaria eorum argumenta recensita, & incre-  
dibili perspicuitate atq; soliditate resoluta desideraret,  
legat modo Dissertationem Mag.DN.PRO-CANCEL-  
LARII de qvæstione jucundâ pariter ac utili : *Utrum  
humanum genus non alio potuerit modo, nisi iruentâ DEI morte  
reparari ? ibi desiderio ejus satisfiet.. Cui prolixiora  
arrident, adeat is B. Calovii Socin. profi. de Sacerdotio CHRI-  
STI, pag. 338. &c. Qvenst. Syst. P. III. loc. de Satisfact. Ad  
ultimum Summum Numen Divinum supplex adoro,  
velit in nobis per Spiritûs S. gratiam fidem accen-  
dere, augere & conservare, quo omnes & singulissimus  
ac maneamus DEO reconciliati & expiati unicâ hac*

**Satisfactoriâ Agni ab Origine**

**Mundi occisione**

**Amen !**

**SECTIO I.**

## CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

## SECTIO I.

§. 1.

**D**E connexione textus cum antecedentibus. §. 2. De varia lectione & distinctione. §. 3. De vocis Agni Etymologia, Synonymia & Homonymia. §. 4. Per Agnum intelligitur CHRISTUS § 5. Secundum humanam naturam. §. 6. De convenientia Agni & CHRISTI. §. 7. De convenientia relativa CHRISTI tam cum Agnis sacrificiis. §. 8. quam in specie cum Agno paschali. §. 9. De collationis ratione. §. 10. De Voce occisus. §. 11. De pbraſi ἀπὸ καλαβολῆς κισμα.

## SECTIO II.

§. 1.

**D**E modis occisionis. §. 2. Quot & quinam illisint? §. 3. De primo modo occisionis per decretum. Decretum DEI, quid? §. 4. De distinctione decretorum. §. 5. De Decreto occisionis Agni. De ordine hujus decretis ad cetera. §. 6. Probatur hoc decretum ex 1. Petr. I. 19. 20. §. 7. Ex Act. II. 23. III. 27. §. 8. Num decretum hoc sit absolutum, an hypotheticum? §. 9. Ergo dici potest occiso Agni per decretum. §. 10. De secundo modo occisionis, per promissiones, Protevangelium, §. 11. Et ceteras promissiones Evangelicas V. T. §. 12. De tertio modo occisionis per sacrificia. De causa efficiente sacrificiorum. §. 13. De Sacrificiorum fine legali, & Evangelico, Evangelicus consistit tam in adumbratione. §. 14. quam in expiatione typica. §. 15. Ergo dici potest occiso Agni per sacrificia. §. 16. De quarto modo quoad efficaciam in V. T. §. 17. Conclusio.

## SECT. III.

## SECTIO III.


§. 1.

**O**cciso bac fuit satisfactoria. §. 2. Qvod probatur (1) nomine Agnitam ex hoc dicto, §. 3. quam ex aliis Scriptura locis. Job. I. 29. Esa. LIII. 4. &c. §. 4. i. Petr. I. 18. 19. 20. §. 5. i. Cor. V. 7. §. 6. Probatur (2) voce Occisionis. §. 7. De satisfactionis causa materiali. §. 8. que dicitur Obedientia CHRISTI activa & passiva. §. 9. De satisfactionis causa formalis. §. 10. De causa finali.

§. 11. Demonstratio harum causarum ex Textu.

§. 12. Conclusio.

SECTIO II.



SECT. III.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



**QPCARD 201**

